

## THOMAE CAMPIANI EPIGRAMMATUM

**LIBER PRIMUS**

## AD EXCELSISSIMUM FLORENTISSIMUMQUE CAROLUM, MAGNAE BRITANNIAE

E1\_1 v.1 Ludicra qui tibi nunc dicat, olim (amplissime princeps),  
 2 grandior ut fueris, grandia forte canet,  
 3 quaeque genus celebrare tuum et tua lucida possunt  
 4 facta, domi crescunt, sive patrata foris.  
 5 At tenues ne tu nimis (optime) despice Musas :  
 6 pondere magna valent, parva lepore juvant.  
 7 Regibus athletae spatiis grati esse solebant  
 8 apricis, nani ridiculique domi.  
 9 Magnus Alexander magno plaudebat Homero,  
 10 suspiciens inter proelia ficta deos ;  
 11 Caesar, major eo, Romana epigrammata legit,  
 12 sceptrigera quaedam fecit et ipse manu.  
 13 Talia sed recitent alii tibi (maxime princeps) ;  
 14 tu facias semper maxima, parva lege.  
 15 Enecat activam quia contemplatio vitam  
 16 longa, brevis, necnon ingeniosa, fovet.

## DE LIBRIS SUIS

E1\_2 v.1 Nuper cur natum libro praepono priori ?  
 2 Princeps est aequum principe stare loco.

## AD LECTOREM

E1\_3 v.1 Nec sua barbaricis Galeno scribere visum est,  
 2 in mensa nullum qui didicere modum ;  
 3 nec mea commendo nimium lectoribus illis  
 4 qui sine delectu vilia quaeque legunt.

## IN NERVAM

E1\_4 v.1 In cenam immunis propter joca salsa vocatur  
 2 Nerva ; suum fas est lingere quemque salem.

## IN TABACCAM

E1\_5 v.1 Aurum nauta suis Hispanus vectat ab Indis,  
 2 et longas queritur se subiisse vias.

3 Majus iter portus ad eosdem suscipit Anglus,  
 4 ut referat fumos, nuda tabacca, tuos :  
 5 copia detonsis quos vendit Ibera Britannis,  
 6 per fumos ad se vellera calda trahens.  
 7 Nec mirum est stupidos vitiatis naribus Anglos  
 8 olfacere Hesperios non potuisse dolos.

## DE AURO POTABILI

E1\_6 v.1 Pomponi, tantum vendis medicabilis auri,  
 2 quantum dat fidei credula turba tibi ;  
 3 evadunt aliqui, sed non vi futilis auri :  
 4 servantur sola certius ergo fide.

## AD BERINUM

E1\_7 v.1 Nomen traxit Amor suum, Berine,  
 2 a fervente mari, unde diva mater  
 3 est e fluctibus orta sals - amaris  
 4 (verum vivida si refert vetustas),  
 5 credo non sine maxima procella.  
 6 Nec dici temere hoc putes, Berine ;  
 7 Quippe instar maris aestuant amantes,  
 8 saepe et naufragium rei queruntur,  
 9 plusque illa fidei. Vorax Charybdis  
 10 moecha est, et furia acrior marina.

## IN VILLUM

E1\_8 v.1 Discursus cur te bibulum jam musaque fallit ?  
 2 Humectas mentis lampada, Ville, nimis.

## IN NERVAM

E1\_9 v.1 Fratres, cognatos, natos, et utrumque parentem  
 2 composuit constans Nervaque rectus adhuc ;  
 3 solus stirpe manens e tanta, sanguinis omne  
 4 jam decus in venis comprimit ille suis.  
 5 Ergo beatorum mensas vir providus ambit,  
 6 inde sibi sanguis crescat ut usque novus.  
 7 Jamque pater, mater, jam fratres, atque nepotes,  
 8 spreto est externo sanguine, Nerva, tibi.

## IN MATHONEM

E1\_10 v.1 Ebrius uxorem duxit Matho, sobrius horret,  
 2 ei nunc in sola est ebrietate salus.

## DE BONA FAMA

E1\_11 v.1 Qui sapit in multis, vix desipuisse videri  
 2 ulla in re poterit ; tam bona fama bona est.

## AD CALVUM

E1\_12 v.1 Cantor saltatorque priori de ordine certant,  
 2 Calve ; sed ante choros musica nata fuit :  
 3 dignior et motus animi quae temperat ars quam  
 4 corporis est, quanto corpore mens melior.

## AD COSMUM

E1\_13 v.1 Plena boni est mulier bona res pretiosaque, Cosme :  
 2 rara sed esse nimis res pretiosa solet.

## IN LYCUM

E1\_14 v.1 Non ex officiis quae mutua gratia debet  
 2 ferre per alternas atque referre vices,  
 3 sed Lycus ex usu privato pendit amicos ;  
 4 nec tacet ; et solus quod sapit, inde putat.  
 5 Pectore vir bonus et sapiens cernetur aperto ;  
 6 non itidem malus. Is, quod sapit, omne tegit :  
 7 sis licet ex fructu nummorum jam, Lyce, dives,  
 8 fictae ne speres fenus amicitiae.

## AD EURUM

E1\_15 v.1 Multum qui loquitur, si non sapit, idque vetustum est ;  
 2 Caccula causidicus si sapit, Eure, novum est.

## AD HAEDUM

E1\_16 v.1 In multis bene cum feci tibi, non bene nosti ;  
 2 si malefecissem, notior (Haede) forem.

## IN BARNUM

E1\_17 v.1 In vinum solvi cupis Aufilena quod haurit,  
 2 basia sic faelix, dum bibit illa, dabis ;  
 3 forsitan attinges quoque cor ; sed (Barne) matella  
 4 exceptus tandem qualis amator eris !

## IN CACCULAM

E1\_18 v.1 Caccula causidicus quid ni ditissimus esset ?  
 2 Et loquitur nemo magis, et verba omnia vendit.

## IN SABELLUM

E1\_19 v.1 Nummos si repeto (Sabelle) rides ;  
 2 cenam si nego perfuris (Sabelle).

3 Utrumvis pariter mihi molestum est :  
 4 in re non fero seria jocosum ;  
 5 in re non fero serium jocosa.

IN SECTOREM ZONARIUM

E1\_20 v.1 Artifices inter sector zonarius omnes  
 2 lucrum non fallax solus ubique facit ;  
 3 namque opera expleta, cuncta sine lite morave,  
 4 mercedem propria continet ille manu.

IN NERVAM

E1\_21 v.1 Temperiem laudare tuam vis Nervaque tangi ;  
 2 ex tactu tepidus, Nerva, fatebor, eras.  
 3 Sed quid homo tepidus sonat Anglis ipse docebo ;  
 4 scilicet haud multum qui bonus aut malus est.

IN TUCCAM

E1\_22 v.1 Non salve, sed solve tibi Lycus obvius infit ;  
 2 urbanus sed tu nil nisi, Tucca, vale.

IN CALUM

E1\_23 v.1 Colligit, et scriptos Calus in se ridet iambos :  
 2 vix credas homini quam male dicta placent,  
 3 Invidiamque viro ceu quid probat utile magno  
 4 quem metui potius quam placuisse juvat.  
 5 Haec Calus : at genius quando susurrat in aurem,  
 6 est gravis invidiae saepe ruina comes.

IN MARINAM

E1\_24 v.1 Docta minus, moechis ut erat contenta duobus,  
 2 sic etiam bigis vecta Marina fuit :  
 3 nunc eadem solis agitur fastosa quadrigis,  
 4 nunc igitur moechos bis capit illa duos.

IN TATIUM

E1\_25 v.1 Haud melior Tatio vir erat, nec amicier alter ;  
 2 hoc tolerabilior jam Calus ; aula docet.  
 3 Nam faciles nondum gustata potentia reddit,  
 4 at prima prohibet plurima fronte pudor.  
 5 Simplicitate sua sic virgo educta pudice  
 6 lusus declinat, verbaque nuda nimis :  
 7 aptior haec tandem licet obtrectante labello  
 8 basiolum discit reddere, parque pari ;  
 9 inde manum tangi patitur, tectasque mamillas,  
 10 nec refugit quamvis artior instat amans.  
 11 Ast Venerem simul illa sapit, tacitosque Hymenaeos,  
 12 inpune et fieri perdita quaeque videt ;  
 13 perfricta quid non audebit denique fronte,

14 aut quem nequitiae ponet aperta modum ?  
 15 Pessimus ex pravo sic nascitur aulicus usu ;  
 16 nec mirum, cui non imperat una Venus.

IN ACERRUM

E1\_26 v.1 Cautus homo est, et Acerrus habet quot lumina quondam  
 2 Argus, at haec dubie cuncta nihilve vident.

IN CALVUM

E1\_27 v.1 Ne quem nunc metuas in te atros scribere versus ;  
 2 nigrorem Aethiopi qui paret, ecquis erit ?  
 3 Perfosso quid opus nova figere spicula corde ?  
 4 Quis dabit in misera pocula dira phthisi ?  
 5 Omnis cura tibi, Calve, sit de funere, tanquam  
 6 mortuus, et speres jam bona verba licet.

AD LICINIUM

E1\_28 v.1 Vir bonus esse potest, Licini, cui femina nulla  
 2 imperat ; at contra vir malus esse potest.

IN GAURUM

E1\_29 v.1 Causidicos in lite paras tibi, Gaure, peritos,  
 2 quorum tu meritis munera nulla negas :  
 3 in morbo medicos contra conducis inertes,  
 4 quamque potest minimo ; sic tibi, Gaure, sapis ?  
 5 Haeredi siquidem rem, vitam nemo relinquet ;  
 6 haeredi potius vivitur, ane tibi ?

IN PARDALUM

E1\_30 v.1 Ex quibus existunt animalia spagyris isdem  
 2 dicit ali ; verum est, id ratioque docet.  
 3 Ex sale, mercurioque, et sulphure corpore constant,  
 4 ut Paracelsiaca perstrepat aura scholae.  
 5 Pardalus idcirco chymicus tumidusque professor,  
 6 pro modico modium jam solet esse salis ;  
 7 idque agit assidue, magis ut se nutriat, inquit :  
 8 sulphur sic utinam mercuriumque voret.

IN CORVINUM

E1\_31 v.1 Bassano multum debet Corvinus ; honorem  
 2 jure suo, gratum munificoque animum :  
 3 Bassanus ne hilum Corvino ; qui male gratus  
 4 cunctorum amisit mutua jura hominum.

## IN HISTRICUM

E1\_32 v.1 Tritas rogo cur habeat Histricus vestes ;  
 2 an deficit res, aut fides ? Negat : quaero  
 3 novis quid obstet ? Vestiarium non fert,  
 4 ait, qui adaptet sibi : timet titillari.

## IN ALBIUM

E1\_33 v.1 An te quod pueri in via saluent  
 2 ignoti, gravis intumescis, Albi,  
 3 incedens veluti novus senator,  
 4 fixis vultibus, et gradu severo ?  
 5 Erras ; non honor hic, metus profecto est.  
 6 Nam tristis ferulae memor puellus  
 7 quid ni cogitet ex ineptiente  
 8 ista te gravitate paedagogum ?

## DE EPIGRAMMATE

E1\_34 v.1 Sicut et acre piper mordax epigramma palato  
 2 non omni gratum est : utile nemo negat.

## IN CORVINUM

E1\_35 v.1 Quis non te, Corvine, omni jam munere dignum  
 2 et gratum exemplo te celebrante feret ?  
 3 Nam Venerem tibi dat Galla, idque palam omnibus effers,  
 4 tanti ne meriti non videare memor.

## IN UTILITATE

E1\_36 v.1 Utilis est nulli semet qui negligit ; omni  
 2 vix usquam spreta est utilitate bonus.

## IN NERVAM

E1\_37 v.1 Vinum amat, horret aquam ; qua visa Nerva recurrit,  
 2 ut solet a rabido morsus, Amate, cane.  
 3 Porrecto vini cyatho fugitat canis ; illi  
 4 ostendas lympham quando fugare velis.

## AD PONTICUM

E1\_38 v.1 Argus habet natos sex, nullam, Pontice, natam ;  
 2 vulgo si credis, sobrius Argus homo est.

## AD COSMUM

E1\_39 v.1 Versum qui semel ut generat nullum necat, idem  
 2 non numeris gaudet, Cosme, sed innumeris.

DE HENRICO IV FRANCORUM REGE  
 E1\_40 v.1 Henricum gladio qui non occidere posset,  
 2 cultello potuit : parva timere bonum est.

AD SERENISSIMAM ANNAM REGINAM

E1\_41 v.1 Anna, tuum nomen si derivetur ab anno,  
 2 nominibus quadrant annua quaeque tuis :  
 3 annua dona tibi debentur, et annua sacra ;  
 4 atque renascendi per nova secla vices.

AD EANDEM

E1\_42 v.1 Quatuor Anna elementa refert, venerabile nomen ;  
 2 divisis partes, Anna, tot annus habet.  
 3 Anna retro est eadem, sed non reflectitur annus ;  
 4 hic in se moriens, salva sed illa redit.

AD SERENISSIMUM CAROLUM PRINCIPEM

E1\_43 v.1 Scotia te genuit, cepit mox Anglia parvum ;  
 2 sed tu, quod spero, Carole, neuter eris.  
 3 Unica te faciet nam magna Britannia magnum ;  
 4 nomina conveniunt factaque magna tui.

AD AUGISTISSIMUM IACOBUM REGEM

E1\_44 v.1 Curta tuum cur haec metuunt epigrammata nomen ?  
 2 Debetur famae maxima Musa tuae.

AD CASTRICUM

E1\_45 v.1 Acceptum pro me perhibes te, Castrice, ludis  
 2 admissum ; pro te captus at ejicior :  
 3 esse mei similem non est tibi causa dolendi,  
 4 sed me tam similem paenitet esse tui.

AD ROBERTUM CARAEUM EQUITEM AURATUM NOBILISSIMUM

E1\_46 v.1 Olim te duro cernebam tempore Martis,  
 2 in se cum fureret Gallia, qualis eras.  
 3 Teque, Caraeae, diu florentem vidimus aula,  
 4 dux, idem et princeps, dum tua cura fuit.  
 5 Unus erat vitae tenor, et prudentia juncta  
 6 cum gravitate tibi sic quasi nata foret :  
 7 nec mutavit honos, nec te variabilis aetas ;  
 8 qui novit juvenem, noscet itemque senem.

## IN TUCCAM

E1\_47 v.1 Consuluit medicum de cordis Tucca tremore ;  
2 morbum (proh) talem miles habere potest !

## IN CACCULAM

E1\_48 v.1 Vulgares medici tussi febrigue medetur,  
2 Et vitiis quorum causa cuique patet.  
3 Morbi sed cerebri convulso corpore, vel cum  
4 non movet, exposcunt haud levis artis opem.  
5 Aemulus hinc causam defendit Caccula nullam  
6 quae justa, aut bona sit ; pessima sola placet.  
7 Hanc agit intrepide semper, victorque triumphat,  
8 tanquam is cujus ope est Attica pulsa lues.

## DE TERMINIS FORENSIBUS

E1\_49 v.1 Anglorum jurisconsulti quatuor uno  
2 exposcunt anno, termini at iis duo sunt :  
3 terminus a quo res trudunt, et terminus ad quem ;  
4 mutua qui sumunt nomina saepe sua.

## AD PONTICUM

E1\_50 v.1 Convivas alios quaeras tibi, Pontice ; ceno  
2 lautius atque hodie tutius ipse domi :  
3 nam me qui monuit vester modo rufus olebat  
4 ac si esset totus caseus, isque vetus,  
5 et tostus decies ; atqui hunc meus horret utervis  
6 suffitum genius. Pontice, ceno domi.

## IN TABACCAM

E1\_51 v.1 Cum cerebro inducat fumo hausta tabacca stuporem,  
2 nonne putem stupidos quos vapor iste capit ?

## AD SABELLUM

E1\_52 v.1 Filia, sive uxor peccat, tua culpa, Sabelle, est ;  
2 per se nulla bona est, nulla puella mala ;  
3 soli debetur custodi femina quicquid  
4 in vita spurce, sive decenter agit.

## DE GAURO

E1\_53 v.1 Nil dum facit temere, nihil facit Gaurus.

## IN ACMEN

E1\_54 v.1 Est dives Titus, id fateris, Acme ;



2 et te conjugio expetit misellam ;  
 3 illum tu fugis, attamen beatum :  
 4 quare ? Non sapit, inquis. Et quid inde ?  
 5 An si quis prior est Ulysse caelebs,  
 6 non reddes, simul hunc sinu maritum  
 7 complexa es, stolidum magis Batillo ?

## IN GLAUCUM

E1\_55 v.1 Debilis eunuchus sit, sit castratus oportet ;  
 2 nam Glaucos invisum est omne virile genus.

## IN LAURENTIAM

E1\_56 v.1 Imberbi, si cui, Laurentia nubere voluit,  
 2 invenit multos haec sibi fama procos ;  
 3 impubes omnes, mora quos in amore pilosos  
 4 reddidit ; ignoto sic perit illa viro.

## IN LALUM

E1\_57 v.1 Aedes Lalo amplae sat sunt, sed aranea telis  
 2 immunis totas inficit, ille sinit.  
 3 Quoque magis numero crescunt, gaudet magis, unus  
 4 tetras bestiolas has amat atque fovet ;  
 5 non tamen ut bellas ; nec quod medicina pusillis  
 6 vulneribus tela est ; toxica nulla facit.  
 7 Verum est cum muscis lis non medicabilis ; illas  
 8 insequitur demens, omnimodoque necat ;  
 9 idque opus imposuit misero festiva puella,  
 10 ala cui muscae laesus ocellus erat.

## IN NERVAM

E1\_58 v.1 Dissecto Nervae capite, haud (chirurge) cerebrum  
 2 conspicis ; eia, alibi quaere ; ubi ? Ventriculo.

## AD APRUM

E1\_59 v.1 Causidicus qui rure habitat, vicina per arva  
 2 si cui non nocuit, jam benefecit, Aper.

## AD PONTILIANUM

E1\_60 v.1 Qua celebrata Lyco fuerant sponsalia luce,  
 2 captus homo tota mente repente fuit :  
 3 idque velut monstri quid dimiraris ? At illo  
 4 quis non insanit (Pontiliane) die ?

## AD BERINUM

E1\_61 v.1 Vidisti cacodaemonem, Berine ;  
 2 qua tandem specie ? Canis nigri, inquis.  
 3 Vah ; dicam melius, canem figura  
 4 vidisti cacodaemonis, Berine.

## AD AULUM

E1\_62 v.1 Cum scribat nunquam Corvinus non satur, Aule,  
 2 tantum jejuni carminis unde facit ?

## AD LAURAM

E1\_63 v.1 Egregie canis, in solis sed, Laura, tenebris ;  
 2 nil bene fortassis non facis in tenebris.

## AD PONTICUM

E1\_64 v.1 Re nulla genio cum pigro (Pontice) noster  
 2 consentit genius ; sed velut ignis aquae  
 3 miscetur, pariter suscepta negotia reptant  
 4 invite, pariter somnus utrumque premit.  
 5 Mens hebet, herba velut, vicino infecta veneno,  
 6 tota mihi ; vel ceu flamma repressa furit.  
 7 Tale mihi tuus est solanum, Pontice, summus  
 8 patronus Decius, nescio quale tibi.

## DE HONORE

E1\_65 v.1 Qui plus quam vires tolerant subit amplior aequo,  
 2 is merito dici possit honoris "onos".

## AD SALUSTIUM

E1\_66 v.1 Hesterna tibi gratulor, Salusti,  
 2 de cena magis ob jocos inermes,  
 3 et suaves animo calente risus.  
 4 Hausto non timide novo rubello ;  
 5 quam de istis avibus quater sepultis,  
 6 selectis dapibus tuo palato ;  
 7 quae mensa positae, sed expianda,  
 8 efflavere Stygem, suoque nostrum  
 9 tetra nunc feriunt odore nasum.  
 10 Sed me reprimo quamlibet gravatum,  
 11 nam res candida fama mortuorum est.

## IN COSSUM

E1\_67 v.1 Condidit immenso puerilia membra sepulchro  
 2 filioli, multo marmore claustra tegens,  
 3 Cossus, quanta duos caperent satis ampla Typhaeos,

4           solus consilii conscius ipse sui.  
 5       Ergo impar spectator opus miratur ; at illud  
 6           ingenium auctoris ceu levis umbra refert :  
 7       aedes qui tantas habitat miser, ut bene possent  
 8           cum turba proceres sustinuisse duos.

## DE NUPTIIS

E1\_68   v.1     Rite ut celebres nuptias,  
           2     dupla tibi face est opus ;  
           3     praetendat unam Hymen necesse,  
           4     at alteram par est amor.

## AD GUILIELMUM CAMDENUM

E1\_69   v.1     Legi operosum jamdudum, Camdene, volumen,  
           2     quo gens descripta et terra Britannia tibi est,  
           3     ingenii felicitis opus solidique laboris :  
           4     verborum et rerum splendor utrimque nitet.  
           5     Lectorem utque pium decet, hoc tibi reddo merenti,  
           6     per te quod patriam tam bene nosco meam.

## DE SUIS

E1\_70   v.1     Rerum quae nova nunc Britannicarum  
           2     exorta est facies ? Vetus recessit  
           3     prorsus sobrietas ; gula, insolensque  
           4     cultu insania, futilisque pompa  
           5     pessundant populum manu potentem ;  
           6     sic pauci ut bene de suoque vivant ;  
           7     vixque ex omnibus invenire quenquam est  
           8     qui non accipit ipse fenus aut dat.

## AD GLAUCUM

E1\_71   v.1     Exemplo quicquid fit, justum creditur esse ;  
           2     exemplis fiunt sed mala, Glauce, malis.

## DE MEDICIS

E1\_72   v.1     Gnarus judicat aurifex metalla,  
           2     dat gemmis pretium et suum valorem :  
           3     doctos sed medicos, bene et merentes,  
           4     tantum ponderat imperita turba.

## IN LIGONEM

E1\_73   v.1     Invideat quamvis sua verba Latina Britannis  
           2     causidicis, docto nunc Ligo fertur equo.  
           3     Et medici partes agit undique notus ; Alenum  
           4     scenarum melius vix puto posse decus.

## DE SENECTUTE

E1\_74 v.1 Est instar vini generosi docta senectus ;  
2 quo magis annosa est, acrior esse solet.

## AD CALVUM

E1\_75 v.1 Insanos olim prior aetas dixit amantes ;  
2 non sanos hodie dicere, Calve, licet.

## AD MAURUM

E1\_76 v.1 Perpulchre calamo tua, Maure, epigrammata pingis ;  
2 apparet chartis nulla litura tuis.  
3 Pes seu claudus erit, seu vox incongrua, nunquam  
4 expungis quidquam ; tam tibi pulchra placent.  
5 Pulchra sed haec oculis ut sint, tamen auribus horrent ;  
6 horrida vox omnis, lusce, litura fuit.

## IN CINNAM

E1\_77 v.1 Notos, ignotos, celsos, humilesque salutat  
2 Cinna ; joco populi dicitur ergo salus.

## IN TUCCAM

E1\_78 v.1 Sit licet oppressus, licet obrutus aere alieno  
2 Tucca, nihil sentit : quam sapit iste stupor !

## IN NERVAM

E1\_79 v.1 Coctos Nerva cibos crate aut sartagine torret  
2 usque in carbonem ; deliciasque vocat.  
3 Quid potius cuperet quam carbonarius esse  
4 helluo inops, cui plus quam caro carbo placet ?

## AD EURUM

E1\_80 v.1 Solas pauper amat Macer beatas,  
2 lautas sed nimis atque fastuosas ;  
3 laudari cupit, Eure, non amari.

## AD PONTICUM

E1\_81 v.1 Propria si sedes jecur est et fomes amoris,  
2 haud tuus esse potest, Pontice, sanus amor.

## IN LIGONEM

E1\_82 v.1 Ligo Latine "vulnerarium" potum  
2 dicere volebat ; "vulverarium" dixit.

## IN DAEDALUM

E1\_83 v.1 Parva te mare navigasse cymba  
2 magnum, Daedale, praedicas ; quid ad me  
3 cymba si Styga transmees eadem ?

## AD IUSTINIANUM

E1\_84 v.1 Vir bonus et minime vis litigiosus haberi,  
2 et lites coram iudice mitis ais,  
3 non amo, nec temere cuiquam struo gratia causae  
4 Major ut accedat (Justiniane) tuae.  
5 Invidiam, ah, nescis quantam tua candida verba,  
6 quas inimicitias, quae tibi bella parant,  
7 quosve illic risus astantibus ipse moveres,  
8 damnans iudicis utile litis onus,  
9 quamque patet turbis bonitas tua : tres tibi scribebant  
10 mane dicas aliqui ; mox alii atque alii ;  
11 nec succrescenti posthac a lite quiesces,  
12 idque alieno etiam iudice : jamne tremis ?

## IN CACCULAM

E1\_85 v.1 Legis cum sensum pervertis, forsitan illud  
2 jure facis, sed non, Caccula, jure bono.

## AD PAPILLUM

E1\_86 v.1 Papile, non amo te, nec tecum ceno libenter,  
2 nec tamen hoc merito fit, fateorque, tuo :  
3 sed nimis ore refertur miscentem tristia Picum  
4 toxica, suspectum te tua forma facit :  
5 anguillam quisquis timet, esse hanc autumat anguem.  
6 Et non esse sciat, cogitat esse tamen.

## IN LYCUM

E1\_87 v.1 Conjugio est junctos qui separat execrandus ;  
2 pugnantes dirimi non sinit ergo Lycus.

## IN BOSTILLUM

E1\_88 v.1 Magna Bostillus magnum se venditat aula ;  
2 aula magna tamen plus bovis olla capit.

## AD EURUM

E1\_89 v.1 Non laute vivis, sed laete ; negligis urbem ;  
 2 attamen urbani plenus es, Eure, joci ;  
 3 tam lepido tibi fit rus ipsa urbanus urbe,  
 4 rusque tuum in se nil rusticitatis habet.

## IN MATHONEM

E1\_90 v.1 Martis, ut affirmat, Veneres sed vulnere claudus  
 2 it Matho, scit morbum dissimulare suum ;  
 3 et fictum narrat, medico indulgente, duellum ;  
 4 prostrato inflictum sed sibi vulnus, ait.

## IN MYRTILLAM

E1\_91 v.1 O dira pestis utriusque Myrtilla  
 2 sexus, liquescens dulcium ore Sirenum :  
 3 parumne ducis credulos amatores  
 4 si perdis omnes, artibus animos iisdem  
 5 quin optumarum polluas puellarum,  
 6 ut nulla propter te indole ex sua vivat  
 7 simul aure putrida hauserit tuos cantus ?  
 8 O pestis omni pestilentior peste !  
 9 Haud saeviit adeo Atticis senex Cous  
 10 a moenibus quam depulit sacram tabem :  
 11 madore nec quae languido Britannorum  
 12 terrebat animos omnium nova strage ;  
 13 crebrave sternutatione quae longe  
 14 grassata miseram solitudinem vidit ;  
 15 nec enim parem poeticis inaudire est  
 16 scriptis, sed omnes una pestis haec pestes  
 17 superat, sit illa vera, sit licet ficta.

## IN PSEUDOMEDICUM

E1\_92 v.1 Invento ex libro medicus qui creditur esse ;  
 2 fortunae, non is filius artis erat.

## AD MANTALUM

E1\_93 v.1 Non satis est supra vulgus quod, Mantale, sentis,  
 2 consilium si non exprimis ore gravi.  
 3 Distinguit ratio a brutis, oratio sed nos  
 4 inter nos, animae lux et imago loquens.

## DE FRANCISCI DRACI NAVE

E1\_94 v.1 En Draci sicco tabescit littore navis,  
 2 aemula sed sphaerae, pulcher Apollo, tuae.  
 3 Illa nam vectus vir clarus circuit orbem,  
 4 Thymbraeo et vidit vix loca nota deo.

5 Cujus fama recens tantum te praeterit, Argo,  
6 quantum mortalem Delia sphaera ratem.

## IN MORACHUM

E1\_95 v.1 Mors nox perpetua est ; mori proinde  
2 non suadet sibi nyctalops Morachus,  
3 in solis titubans ne eat tenebris.

## IN OBITUM HENRICI MAGNAE BRITANNIAE PRINCIPIS

E1\_96 v.1 Grandior et primis fatis post terga relictis,  
2 concipiens animo jam nova regna suo,  
3 princeps corripitur vulgari febre Britannus ;  
4 hinc lapso ut coepit vivere flore perit.  
5 Sic moriemur ? Ad haec ludibria nascimur ? Et spes  
6 fortunaequae hominum tam cito corruerint ?

## DE FRANCISCO DRACO

E1\_97 v.1 Nomine Dracus erat signatus ut incolat undas ;  
2 Dracum namque anatem lingua Britanna vocat.

## N OBITUM IACOBI HUISII

E1\_98 v.1 Heu non maturo mihi fato, dulcis Huissi,  
2 occidis, heu, annis digne Mathusaliis ;  
3 occidis ex morbo quem fraus et avara Synerti  
4 saevitia ingenuit ; cui mala multa viro  
5 det Deus ; et, lacrimis quotquot tua funera flerunt  
6 in diras versis, ira odioque necent.

## IN BOSTILLUM

E1\_99 v.1 Audiit ut cuculos comedi Bostillus in aula  
2 Moechus, abit metuens prospiciensque sibi.

## IN FANNIUM

E1\_100 v.1 Hispani bibit in dies lagenam  
2 vini Fannius ; usque cruditatem  
3 causatur stomachi ; novem decemve  
4 ante annis cucumem unicum quod edit  
5 maturum minus ; isthic, isthic usque  
6 haerens ventriculum gravat, nec esse  
7 Hispani immemorem sinit Lyaei.

## IN APRUM

E1\_101 v.1 Impurus, sexu nec Aper scortator in uno,  
2 cum lotii clausus forte meatus erat,  
3 sic periit ; misero sua facta urina ruina est,

4 it poenae causa in pene nocente fuit.

AD CALVUM

E1\_102 v.1 Non Anglos carnis defectu, Calve, bovinæ  
2 Caletum Galli deseruisse ferunt,  
3 sed condimenti quod profert acre sinapi ;  
4 hoc joculoque sibi Gallia tota placet.  
5 Coccineo hanc hosti nuper cum dederet urbem,  
6 neutrius Gallo copia, crede, fuit.

IN CORVINUM

E1\_103 v.1 Effodiat sibi, Calve, oculos Corvinus, Homero,  
2 ut sperat, similis non tamen esse potest.

IN CINNAM

E1\_104 v.1 Daemonis effigie compressit Cinna puellam ;  
2 deinde sacerdotem se facit ; atque fugat  
3 Daemonium ut voluit ; gravida sed virgine, nescit  
4 anne pater daemon, vel sacer hospes erat.

AD NAEVOLAM

E1\_105 v.1 Ebrius occurrit quoties tibi ,Naevola, vinum  
2 non nimium, dicis, sed bibit ille malum.

IN CALVUM

E1\_106 v.1 Divinas bona, Calve, tibi, sed sola futura  
2 semper ; et haec semper sola futura puto.

AD EURUM

E1\_107 v.1 Vocem Lyctus habet parem cicadis,  
2 aut qualem tenues feruntur umbrae  
3 ad ripas Stygis edere ejulantes.  
4 Hunc si quis novus audiat loquentem,  
5 exhaustum poterit phthisi putare ;  
6 ipsum sin oculis metit, Cyclopum  
7 ceu spectans aliquem timebit auctis  
8 membris horribilem, atque ventricosum.  
9 Vox tam disparilis fit unde, dicam ?  
10 Sic, Eure, expediam : creasse mutum  
11 Naturam voluisse credo Lyctum ;  
12 errantemque dedisse semimutum.

AD EUNDEM

E1\_108 v.1 Mentem pervertit gravis ut jactura Metello,



2           sic inopinatum Lysitelique lucrum.  
3       Harum quae major fuerit dementia quaeris ?  
4           Damna ferens ; curas nam petit, Eure, duas.

## AD PONTICUM

E1\_109 v.1       Qualiscumque suam contemnit femina famam,  
2           nullum, etsi decies, Pontice, jurat, amat.

## IN LYCHEN

E1\_110 v.1       Graecia praeclare pulchras vocat "elpisiboran",  
2           quippe proci praestant munera, forma procos ;  
3       sed formosa Lyche vivit neglecta ; quot alma  
4           nam Cytherea trahit, fusca Minerva fugat.

## IN FLORAM

E1\_111 v.1       Omnia consciolis, bona tantum narrat amanti  
2           Flora ; ita flacessit fama, virescit amor.

## AD AREANAM

E1\_112 v.1       Quod sis casta (Areana) nego, deciesque negabo,  
2           credaris tota talis in urbe licet.  
3       Nam tuus insequitur dum putida scorta maritus,  
4           dum turpi, et vario ruptus amore perit :  
5       crede mihi quotquot noti meretricibus illis  
6           sunt homines, noti sunt, Areana, tibi :  
7       sive equites, seu magnatum de stemmate creti ;  
8           ruris an urbis erit ; pomifer, anne cocus ;  
9       omnes, mille licet, te sunt, o casta, potiti ;  
10          omnium et in morbos sic vitiata ruis.

## AD PONTICUM

E1\_113 v.1       Suspecto quid fure canes cum, Pontice, latent  
2           dixissent melius, si potuere loqui ?

## AD LABIENUM

E1\_114 v.1       Nonnullis medicina placet nova, notaque sordet ;  
2           sed tutas praefer tu, Labiene, novis.

## IN ALBUM

E1\_115 v.1       Quem vitae cursum, quam spem, sortemve sequaris,  
2           quaerendo tremulus factus es, Albe, senex,  
3       sic tumulo mox ut nequeas inscribere vixi ;  
4           embryoque, aut minus hoc, cum morieris, eris.

## DE LYCORI ET BERNINO

E1\_116 v.1 Gratis non amat, et sapit Lycoris :  
2 moechae dat nihil, et sapit Berinus.

## AD GALLAM

E1\_117 v.1 Cum loqueris resoni prodit se putrida nasi  
2 pernicies : si vis, Galla, placere, tace.

## IN NERVAM

E1\_118 v.1 Et miser atque vorax optat sibi Nerva podagram,  
2 solis divitibus qualis adesse solet.  
3 Errat si putat id voti prodesse gulosis ;  
4 nam quid lauta juvat mensa, jacente fame.

## AD PONTICUM

E1\_119 v.1 Femina vindicta citiusne ardescit amore ?  
2 Phoebo, si dicis, Pontice, major eris.

## AD LABIENUM

E1\_120 v.1 Vinum theriacam magnam dixere vetusti  
2 autores ; gratum est hoc, Labiene, tibi.  
3 Hinc te secure Baccho sine fine modoque  
4 imple ; visceribus sanus an aeger idem est.  
5 Sed ne delires : dirum namque ipsa venenum  
6 theriaca est, sumas si, Labiene, nimis.

## IN LAUSUM

E1\_121 v.1 Lausus ut aeterna degit sub nube tabaccae,  
2 conjux ardenti sic sua gaudet aqua :  
3 vir fumum, haec flammam bibit ; infumata maritus  
4 tanquam perna olim, frixa sed uxor erit.

## AD PONTICUM

E1\_122 v.1 Paenituisse Mydam voti sat constat avari,  
2 cumque cibus potusque aureus omnis erat.  
3 Nunc aurum sed eum potare chymista doceret,  
4 iratosque sibi ludere posse deos.  
5 Quid mirum tales auri si nectare lactet  
6 immunes morbis, diis similesque facit ?  
7 Sed non diis similes sunt quos spes aurea fallit ;  
8 quales sint igitur (Pontice) dissimiles.

## IN AULUM

E1\_123 v.1 Ex speculo pictor se pinxit ut Aulus amicae  
2 dat tabulam ; speculo mallet amica frui.

## DE HENRICO PRINCIPE

E1\_124 v.1 Occubuit primis Henricus clarus in annis ;  
2 nec spolium mortis, sed pudor ille fuit.

## AD PARIDEM

E1\_125 v.1 Ut vetus adscivit sibi magna Britannia nomen,  
2 pingere se sexus caepit uterque, Pari ;  
3 haud sine vulneribus veteres tinxere Britanni  
4 corpora, divelli nec timuere cutem :  
5 parcere sed Pictos sibi praecipit aula novellos,  
6 et tenera leves arte polire genas.  
7 Barbariem antiqui mores sapuere ; recentes  
8 mollitiem ; neutrum mi placet ergo, Pari.

## IN VACCERAM

E1\_126 v.1 Damnatis quoties Vaccera turpe  
2 immiscet joculis, id esse dictum  
3 non (ut velle videtur ore blaeso)  
4 imprudenter ait, sed impudenter.

## AD FURIUM

E1\_127 v.1 Sub medium culpae, Furi, cum conjuge moechum  
2 prendit Aper ; taurum jam vitulumne vocas ?

## AD BERINUM

E1\_128 v.1 Uxor quod nimium tua sit fecunda, Berine,  
2 conquereris ; castae sic tamen esse solent :  
3 addis ut implacido sit et ore, et more molesta,  
4 et pugnax ; castae sic tamen esse solent :  
5 quin aliis lepidam dicis magis atque benignam  
6 quam tibi : sic castae non tamen esse solent.

## AD EURUM

E1\_129 v.1 Mortuus Hermus abhinc tribus est aut quatuor annis ;  
2 immo vivit, ais ; mortuus, Eure, mihi est.

## AD CRISPUM

E1\_130 v.1 Mutua multa licet sestertia poscat amicus,  
2 maxima relligo est, Crispe, negare tibi.

3 Sic numeras tamen ut lacrimis credaris obortis  
 4 quod facis officii paenituisse tui.  
 5 Nil tibi, Crispe, deest nisi digni vultus amici ;  
 6 nam, non ut decet, at quod decet usque facis.

## AD CHLOEN

E1\_131 v.1 Mortales tua forma quod misellos  
 2 multos illaqueet, Chloe, superbis :  
 3 hoc sed nomine carnifex triumphet.

## IN LABIENUM

E1\_132 v.1 Perdere cum voluit potuit Labienus ; Hybernum  
 2 virtute hac potuit perdere cum voluit.

## IN BRUSSILIUM

E1\_133 v.1 Ardet Brussilii uxor histrionem ;  
 2 is funambulam ; utrimque flamma saevit,  
 3 nullo exstinguibilis liquore, nullo.  
 4 Primum grande nemos voravit, inde  
 5 villas tres, ovium greges, boumque  
 6 circum pascua tosta mugientum,  
 7 vix aula furor abstinet paterna ;  
 8 et si fas miseris malum ominari,  
 9 tandem cum domino domum cremabit.

## IN CACCULAM

E1\_134 v.1 Caccula, cum tu sis vetus accusator, adaugens  
 2 crimina, quam causas daemonis instar agis !

## IN CINNAM

E1\_135 v.1 Dic sapere, et sapiet ; stupidum dic, Cinna stupescet ;  
 2 si furere, insanus ; si premis, aeger erit ;  
 3 dic modo, fiet idem quod dicis ; nec simulare  
 4 novit, habent vires verba veneficii.

## AD CALVUM

E1\_136 v.1 Ne tibi, Calve, petas socios in amore fideles ;  
 2 si quod amas metuis perdere, solus ama.  
 3 Nocte suo fidum domino domuique molossum  
 4 una salax cogit prodere cuncta canis :  
 5 nocturni id fures norunt, quantumque libido  
 6 tentabit firmam dejicietque fidem.

## AD HARPALUM

E1\_137 v.1 Nec bene, nec belle, semper tamen, Harpale, cantas ;  
2 artem disce, canes sic minus, at melius.

## IN PORCUM ET NERVAM

E1\_138 v.1 Desinit auditis campanis meiere Porcus,  
2 sit vesica licet mole molesta gravi.  
3 Haud lotium contra, sonuit si fistula, frenat  
4 Nerva ; sed invito sic ruit omne, miser  
5 ut penitus madeat ; nec ei prodesse matella  
6 possit, ita audaces evocat imber aquas.  
7 Motus tam discors illis qua vi fit, Aquinas  
8 quaerat ; nos risu res satis ipsa juvat.

## IN POETASTROS

E1\_139 v.1 Sulphure vicenda est prurigo poetica nullo ;  
2 sed neque Mercurio, quem fugat illa deum.

## DE GERMANIS

E1\_140 v.1 Germanus minime quod sit malus, efficit aequum  
2 tota quod explosis gens amat effugiis.  
3 Nam diverticulis cum lex laetabitur, ansam  
4 dat fraudi, multos nec sinit esse bonos.

## IN GLAUCUM

E1\_141 v.1 Alas amisit Glaucus, draco nam fuit olim ;  
2 nunc serpens factus nec leve virus habet.

## IN APRUM

E1\_142 v.1 Septem civis Aper degit, tot et aulicus, annos ;  
2 vivere scit melius quam, Labiene, mori.

## IN CRISPINUM

E1\_143 v.1 Uxorem Crispinus habet, tamen indigus unam  
2 vix alit, extremam sensit uterque famem.  
3 Ipsam dives amat Florus, fremit ergo maritus,  
4 quanquam rivali nunc opus esse videt.  
5 Moechum saepe vocat, sed cum, qui sustinet, ipse  
6 qua fruitur, victu, vestibus, aere domum,  
7 dispeream nisi sit vere Crispinus adulter ;  
8 sponsus, qui sponsi munia Florus obit.

## DE SUDORE BRITANNICO

E1\_144 v.1 Quid ni pestis sit sudor malus Anglica ? Cives  
2 Hybernis gaudent sole vigente togis.

## AD THESPILEM

E1\_145 v.1 Inferius labrum cur mordes, Thespilis ? Illi  
2 ne noceas, si vis basia laeta tibi.  
3 Alterum iners cupido quamvis famuletur amanti,  
4 at magis hoc docta mobilitate placet.

## AD PONTICUM

E1\_146 v.1 Quanto causicum magis arguo, si malus idem est,  
2 tanto plus laudo, Pontice, si bonus est.

## AD GALLAM

E1\_147 v.1 An tua plus sitiatur lingua, an plus, Galla, loquatur,  
2 ardua res dictu pleneque litis erit.  
3 Nam quoties sitit illa bibis ; bene potaque garris ;  
4 procreat unde novam multa loquela sitim.  
5 Dum bibis ergo invita taces, mora nec datur illi.  
6 Indefessa anima sed bibis, aut loqueris.

## DE LONDINENSIBUS

E1\_148 v.1 Sunt Londinenses Coritani, sive Brigantes,  
2 seu Cambri ; raros urbs alit ampla suos.  
3 Sic Londinates producit mixta propago,  
4 plurimus inter quos semicolonus erit,  
5 aegre mutandus ; partis nam fenore nummis  
6 quantum quisque potest praedia civis emit,  
7 in rus festinans, aetas ni praepedit, ipse ;  
8 haeredi saltem dant nova rura locum,  
9 qui, semiurbanus, velut hermaphroditus habetur  
10 indigenis, nam nil rus nisi rure placet.  
11 Quippe canes, vel equos semper, vel aratra loquuntur ;  
12 illis caetera sunt maxima barbaries.  
13 O utinam civis tantum civilia tractet ;  
14 rustica qui ruri non alienus erit.

## AD ARETHUSAM

E1\_149 v.1 Cernitur in nivea cito, si fit, sindone labes ;  
2 formosis eadem lex, Arethusa, datur.

## AD IUSTINIANUM

E1\_150 v.1 Causidicos ditat, res perdit et una clientes,  
2 uno quae verbo est, Justiniane, mora.

## DE HOROLOGIO PORTABILI

E1\_151 v.1 Temporis interpres, parvum congestus in orbem,  
 2 qui memores repetis nocte dieque sonos :  
 3 ut semel instructus jucunde sex quater horas  
 4 mobilibus rotulis irrequietus agis :  
 5 nec mecum quocumque feror comes ire gravaris,  
 6 annumerans vitae damna, levansque meae.

## AD EURUM

E1\_152 v.1 Nec turpe lucrum, nec decus, nec in plebem  
 2 invida potestas, pulchra sed poetarum  
 3 votum pudicum est fama ; nam bonis meta  
 4 omnibus, at illis unica, et mera, et sola ;  
 5 auferre quam merentibus furens nescit  
 6 vis vulnerata divitum : Aulus hinc vivit ;  
 7 liberque Junius, et amabilis Flaccus ;  
 8 et vile quisquis vulgus, Eure, fastidit.

## AD LABIENUM

E1\_153 v.1 Mentiri pro te servo si sis bonus author ;  
 2 pro se mentiri, cur, Labiene, vetas ?

## AD HAEMUM

E1\_154 v.1 Difficile est reperire fidem, si quaeris in aula,  
 2 paene tibi delator tertius, Haeme, vir est.  
 3 Talem pone novis nimium qui partibus haeret ;  
 4 officiosus homo est ? Insidiosus erit.

## AD IUSTINIANUM

E1\_155 v.1 Quatuor et viginti Arthuri regia mensa  
 2 convivas aluit ; quaeque rotunda fuit.  
 3 Mensis jam reges longis utuntur, at uni  
 4 vix est convivae, Justiniane, locus ;  
 5 Augustus toto cum maximus esset in orbe,  
 6 illi convictor sat Maro gratus erat.  
 7 Sed sine compare sit Maro, sic sine compare rex est  
 8 delicias populus quem vocat ipse suas.

## AD FAUSTINUM

E1\_156 v.1 Curvam habeat tua cervicem, Faustine, puella :  
 2 sic, tanquam cupiat basia, semper erit.

## AD IUSTINIANUM

E1\_157 v.1 Si quaeruntur opes, vel honores, sive voluptas,  
 2 vix est qui fruitur, Justiniane, satis.

3 Nam satis est quicquid naturae sufficit ; ultra  
4 quod poscit mens, est, Justiniane, nimis.

## IN HAEDUM

E1\_158 v.1 Causidicus bene dotatam cum duxerat Haedus,  
2 nulla viro vigilis cura clientis erat.  
3 Vere sed expleto, cum dote extinguitur uxor,  
4 desertoque animi detumere novi.  
5 Hic parat omnimodis pulsos revocare clientes ;  
6 nam nunc si causas non agit Haedus, eget.

## AD EURUM

E1\_159 v.1 Qui comptorem sibimet proponit amicum,  
2 compos propositi non erit, Eure, sui.

## AD GLUBUM

E1\_160 v.1 Haeres avari, Glube, feneratoris  
2 viperea qui nunc flagra flet tua causa,  
3 praedia, age, vende, pasce scorta, scurrasque ;  
4 disperde maleparta alea, gula, luxu,  
5 egensque quaeras fenore at triplo nummos ;  
6 instesque, licet irrideant trapezitae ;  
7 nec desine usque dum infimus rogatorum  
8 te filium fateare feneratoris.

## AD AMATUM

E1\_161 v.1 Multas cum visit regiones Paetus et urbes,  
2 in patriam laete deinde receptus erat.  
3 Ut mos est, rogat hunc civis de mercibus, armis  
4 miles ; de ruris rustica cura bonis ;  
5 aulicus ad vestes quod pertinet ; aulica fucos,  
6 atque oleum talci ; singula quisque sua :  
7 solus qui solo nutritur jure Britanno,  
8 externa de re quaerit, Amate, nihil.

## IN TUCCAM

E1\_162 v.1 Plus aequo gladio pacis qui tempore credit,  
2 Tucca, suo gladio sed sine, saepe perit.

## AD LUCIAM

E1\_163 v.1 Lucia, vir nihili est qui quanti virgo sit aeris  
2 curat : venalem sic sibi quaerat equum.  
3 Nequicquam magna certant de dote puellae,  
4 plus aero innuptas vita pudica beat.



## IN CACCULAM

E1\_164 v.1 Acturus causas amisit Caccula vocem,  
 2 inter praecones illico quaerit eam,  
 3 causidicosque illos qui vociferare solebant  
 4 ingenti strepitu ; deserit inde forum,  
 5 femellasque rogat sua quae venalia clamant,  
 6 urbanis servis deinde molestus erat ;  
 7 turrim mox adiit, cunctos rogitansque, locusque  
 8 omnes vestigans : vox tamen usque latet.  
 9 Bombarda tandem, quae turrim evertere posset,  
 10 explosa, inventa Caccula voce redit.

## DE SERVO SUO

E1\_165 v.1 Servo iter ingressus gladium committo ferendum ;  
 2 mox soli atque omni cum sine teste sumus,  
 3 "Aurum," noster ait, "gestas, here ; nec latet, id jam  
 4 auferre armati vis ab inerme potest ;  
 5 factum quis prodet ? Dominum spoliare sed absit ;  
 6 sed facilis res est, si volo ; nolo tamen."  
 7 "Credo", aio, et laudo pro tempore ; pergit ineptus  
 8 dicere qualis hero quamque fidelis erit.  
 9 Inde domum laetus redeo, gladioque recepto  
 10 ejicio vacuum, despicioque fidem ;  
 11 parque pari referens, "Fidum te sensimus," inquam,  
 12 et retinere licet, si volo ; nolo tamen."  
 13 Nam neque credendus, nec habendus, talia servus  
 14 aut qui concipere, aut non reticere, potest.

## AD HAEDUM

E1\_166 v.1 Ignarum juvenem nudum cur trudis in urbem ?  
 2 Neglecto caecum quis duce tentat iter ?  
 3 Gnoissia non totidem domus erroribus, Haeme,  
 4 fallax, his filo quamlibet esset opus,  
 5 aetati crudae quot vita urbana tenebras  
 6 objicit, impuras et sine luce vias.  
 7 Ne duce destitutas titubantem nocte dieque  
 8 filiolum, salvum si cupis, Haeme, tibi.

## AD LABIENUM

E1\_167 v.1 Tres novit, Labiene, Phoebus artes,  
 2 ut narrant veteres sophi ; peraeque  
 3 quas omnes colui, colamque semper :  
 4 nunc omnes quoque musicum, et poetam  
 5 agnoscunt, medicumque Campianum.

## AD CALATHEN

E1\_168 v.1 Graecas, Latinas, litterasque Gallicas  
 2 laudo : puellae lingua sed si sit bona,  
 3 cur uteretur, Calathe, alia quam sua ?

## IN NAEVOLAM

E1\_169 v.1 Tres est pollicitus rationes Naevola Cinnae,  
 2 nummos qui nollet reddere. Reddit eas :  
 3 nil quod debetur prima ; altera nil quid haberet ;  
 4 tertia non presto est : Naevola debet eam.

## AD EURUM

E1\_170 v.1 Pro patria si quis dulci se dixerit, Eure,  
 2 velle mori, ridens ut sibi vivat, ais,  
 3 civis avarus ; et ut servetur Caccula rostris ;  
 4 splendeat ut picta veste rotaque Calus.  
 5 Sic tu ; pro patria fortis cadet attamen omnis ;  
 6 si bona sit, merita est ; sin mala, dulce mori.

## IN CRASSUM

E1\_171 v.1 Crassus ab urbe profecturus, quam firmiter haerens,  
 2 ludorum causa, desidiosus amat :  
 3 tres licet haud ultra noctes sit rure futurus,  
 4 idque absolvat iter dimidiata dies :  
 5 sollemnem ad caenam primos invitat amicos,  
 6 ceu natalicium quam celebrare parat ;  
 7 magna cum pompa, curva resonante sedetur  
 8 buccina, et in vitrum plena refusa salus,  
 9 convivas aequo quae jure perambulat omnes ;  
 10 auspiciu[m] felix hinc sibi sumit iter.  
 11 Crassus at extremis tanquam rediturus ab Indis,  
 12 mox testamentum perficit ; inde nova  
 13 nata salus, reditum faustum quae spondet amico ;  
 14 postremo edictum tempus euntis erat ;  
 15 Maiae nimirum (caelo suadente) calendis  
 16 exhibit ; nonae jamque Decembris erant.

## AD LOLLIIUM

E1\_172 v.1 Ut locupletis addat pauper, praepostera res est :  
 2 divitis est, Lolli, gloria sola, dare.

## AD LAURAM

E1\_173 v.1 Singula dum miror tua labra, oculosque, genasque ;  
 2 quicquid id est verbis, Laura, modesta premis.  
 3 Crines sin laudo, perfusa rubore silesces ;  
 4 quam misere non hos esse fatere tuos.

## AD PONTICUM

E1\_174 v.1 Hic, illic, et ubique, et nullibi, Pontice, lex est ;  
 2 cumque tenes vinctam te latebrosa fugit.

3 Pauciloqua antiquis constabat certa Britannis ;  
4 at nunc ambigua est lex sine lege loquens.

## AD AFRAM

E1\_175 v.1 Calcat sublimis vulgaria verba poesis,  
2 nec narrat, sed res ambitiosa creat.  
3 Ludere si libet, aetatis sibi reddere florem,  
4 par Hecubae quanquam sis, prius, Afra, valet,  
5 quadrupedis pigrae quam ros, cerussave inuncta,  
6 vel minium Venetum, fulva vel empta coma ;  
7 dentes seu vere quos inserit Argus eburnos,  
8 totaque mangonis pharmacopaea Lami.  
9 Suaviter illa tibi canet optatos Hymenaeos,  
10 et gratis faciet ; quod tamen, Afra, veta :  
11 oscula det juvenis, sed anus ferat aurea dona,  
12 carminibus celebris quae cupit esse bonis.

## AD ALBERICUM

E1\_176 v.1 Res est quemlibet una quae benignum  
2 et gratis facere (Alberice) possit ;  
3 nullum laedere, quamlibet merentem.

## IN LARGUM

E1\_177 v.1 Vendit Largus oves, laudatque emptoribus illas  
2 ut teneras ; teneras sed sibi laudat aves.

## AD CAROLUM FITZGEOFRIDUM

E1\_178 v.1 Jamdudum celebris scriptorum fama tuorum,  
2 in me autem ingenue non reticendus amor,  
3 frustra obnitentem si non fortuna vetasset,  
4 in veteres dederat, Carole, delicias :  
5 haec tibi qualiacunque tamen nova lusimus, ut nos  
6 usque amplecteris non alieno animo.

## AD STELLAM

E1\_179 v.1 Vis, Stella, nomen inseri nostris tuum  
2 compendiosis versibus ?  
3 An sat tibi est, o delicata, sidera  
4 inter minora si mices ?

## AD EDOARDUM MYCHELBURNUM

E1\_180 v.1 Immemor o nostri quid agis ? Nec enim tibi magnus  
2 natalis frustra rediit, monitorque vetustae  
3 semper amicitiae novus, et jam debitor annus ;  
4 accipe nostra prior, tenui sed carmina cultu,  
5 qualia sunt domini longo de funere rapta ;

6 posterior tua si compti quid musa resolvet,  
 7 festinans lepido quod portet epistola versu,  
 8 unicus antidotos facile exsuperaveris omnes.  
 9 Haec pauca interea, leve tanquam munus, habeto,  
 10 quae novus ex usu merito tibi destinat annus,  
 11 jusque sodalicii officio quocumque tuetur.  
 12 Quanta sit horridi Jovis inclementia cernis ;  
 13 ut valeas lignis opus est ; et si sapis, ipsi  
 14 cum falce, et tento nolles parsisse Priapo.

## IN GLAUCUM

E1\_181 v.1 Tempore mitescit quantumvis fructus acerbus ;  
 2 fitque sapor gratus, qui modo crudus erat.  
 3 At Glaucus quanto evadit maturior annis,  
 4 austerus tanto fit magis atque magis.  
 5 Conjugis exemplo jam desinat esse malignus ;  
 6 nam suavis, lepida est, nec gravis illa viris.

## AD RUTHAM

E1\_182 v.1 Non satis hoc caute dixti modo, Rutha, sorori,  
 2 te tam formosam non pudet esse levem ?  
 3 Illud nam dictum subito sic laesa retorsit,  
 4 te non formosam non juvat esse levem.

## IN GAURUM

E1\_183 v.1 Perpetuo loqueris, nec desinis ; idque molestum  
 2 omnibus est, et scis ; sed tibi, Gaure, places.

## IN AURICIUM

E1\_184 v.1 Haud quemquam sinis, Aurici, te adire,  
 2 quantumvis humili adlocutione ;  
 3 at nos alloquimur poli utriusque  
 4 rectorem, et rutila manu tonantem :  
 5 an non tu nimium tumes, sacerdos ?

## IN HERENNIUM

E1\_185 v.1 Alcinoos mortem toties minitatus (Herenni)  
 2 cur occurrenti postea mitis eras ?  
 3 Effrenem quamvis nequeas compescere linguam,  
 4 at te jam video posse tenere manum.

## AD AUGUSTISSIMUM CAROLUM MAGNAE BRITANNIAE PRINCIPEM...

E1\_186 v.1 Laetus Britannis, ecce, festinat dies,  
 2 quintumque nunc praeoccupat  
 3 sacrum Novembris ; perge, ter beata lux,  
 4 quam festa signabit nota.

5 Maturus annis, mente nec princeps minor  
 6 Britanniarum Carolus,  
 7 ornandus hodie regiis insigniis,  
 8 exhibit ut sponsus novus,  
 9 puris ephebis cinctus, et procerum choro,  
 10 ceu gemma pompa in aurea ;  
 11 exceptus hilari confluentum murmure,  
 12 clarisque vulgi plausibus.  
 13 Prodi, o beate, rem capesse publicam,  
 14 umbra nimis torpes diu :  
 15 vestigiis jam assuesce majorum inclytis  
 16 praestantioris aemulus.  
 17 Pulchram tibi hic sit primus ad famam dies ;  
 18 at nemo norit ultimum.

## AD MAGNAM BRITANNIAM

E1\_187 v.1 Reddidit antiquum tibi, magna Britannia, nomen  
 2 Rex magnus, magnos dum facit ille suos.

## DE REGIS REDITU E SCOTIA

E1\_188 v.1 Nil Ptolomaeus agit, caelique volumina nescit,  
 2 nam nunc a gelido cardine (Phoebe) redis,  
 3 et veris formosa rosis Aurora refulget ;  
 4 hunc, precor, aeternum reddat Apollo diem.

## AD AMPLISSIMUM TOTIUS ANGLIAE CANCELLARIUM, FRANCISCUM BACONUM

E1\_189 v.1 Debet multa tibi veneranda (Bacone) poesis  
 2 illo de docto perlepidoque libro,  
 3 qui manet inscriptus veterum Sapiientia ; famae  
 4 et per cuncta tuae secla manebit opus ;  
 5 multaque te celebrent quanquam tua scripta, fatebor  
 6 ingenue, hoc laute tu mihi, docte, sapis.

## AD EUNDEM

E1\_190 v.1 Patre, nec immerito, quamvis amplissimus esset,  
 2 amplior, ut virtus, sic tibi crescit honor.  
 3 Quantus ades, seu te spinosa volumina juris,  
 4 seu schola, seu dulcis Musa (Bacone) vocat !  
 5 Quam super ingenti tua re Prudentia regnat,  
 6 Et tota aethereo nectare lingua madens !  
 7 Quam bene cum tacita nectis gravitate lepores !  
 8 Quam semel admissis stat tuus almus amor !  
 9 Haud stupet aggesti mens in fulgore metalli ;  
 10 nunquam visa tibi est res peregrina, dare.  
 11 O factum egregie, tua (rex clarissime) tali  
 12 gratia cum splendet suspicienda viro !

## AD HYMETTUM

E1\_191 v.1 Sis probus usque licet, timidus tamen ipse te ipsum  
 2 deseris, obsequio debet inesse modus,  
 3 vilis erit cunctis sibi qui vilescit, Hymette ;  
 4 non omnis pudor aut utilis aut bonus est.

## AD EDOARDUM MYCHELBURNUM

E1\_192 v.1 Nostrarum quoties prendit me nausea rerum,  
 2 accipio librum mox, Edoarde, tuum,  
 3 suavem qui spirat plenus velut hortus odorem,  
 4 et verni radios aetheris intus habet.  
 5 Illo defessam recreo mentemque animumque,  
 6 ad joca corridens deliciasque tuas ;  
 7 haud contemnendo vel seria tecta lepore,  
 8 cuncta argumentis splendidiora suis.  
 9 Haec quorsum premis ? Ut pereant quis talia condit ?  
 10 Edere si non vis omnibus, ede tibi.

## AD SITIM

E1\_193 v.1 Sitis malorum pessimum,  
 2 aegris molestum sobriis,  
 3 sanis inutile ebriis,  
 4 si sanus ullo sit modo  
 5 qui non nisi ut bibat, bibit,  
 6 semper palude plus madens,  
 7 sitiens tamen rosta magis  
 8 multis arena solibus.  
 9 Nunc est benigna ut sis, Sitis,  
 10 mustis avari Castoris  
 11 diesque noctesque assidue,  
 12 qui te volens vivens tulit ;  
 13 consors amicum protege,  
 14 picto sedens in marmore ;  
 15 qui nubilo caelo cave  
 16 ne sic madescat, Castoris  
 17 ut ossa sicca perluat ;  
 18 sed unicum te sentiat  
 19 qui te colebat unicus,  
 20 sorore cum tua Fame :  
 21 at non amantem me tui  
 22 cum febre pariter desere,  
 23 sitis, malorum pessimum.

## AD LUPUM

E1\_194 v.1 Nemo virtutem non laudat, saevit et idem  
 2 in vitium, hoc hominum sed, Lupe, more facit.  
 3 Nam quis ob hoc drachmam virtuti praebet egenti ?  
 4 Aut in se vitium non amat, atque fovet ?

## AD EURUM

E1\_195 v.1 Insanum cupidis labris ne tange Lyaeum ;  
 2 sic minus audentem te trahet, Eure, Venus.  
 3 Nec Veneri indulge, quamvis bona forma vocabit ;  
 4 nam minus in votis sic tibi Bacchus erit.

## AD GALLUM

E1\_196 v.1 Quod nemo fecit sanus, neque fecerit unquam,  
 2 tu facis, invidias cum mala, Galle, Fabro ;  
 3 sollicitus domini quod nunc terit atria magni ;  
 4 at nescis hac quam conditione perit ;  
 5 qui soli parat usque adeo servire patrono,  
 6 ut non prospiciat libera tecta sibi.  
 7 Idque cavet dominus, modice dum plurima donat ;  
 8 perpetuo, at parco fomite spemque levat.  
 9 Vixque solubilibus vinctum tenet usque catenis,  
 10 exercens variis nocte dieque modis,  
 11 de libertatis ne quando cogitet usu.  
 12 Jam vice vis fungi, livide Galle, Fabri ?

## AD LECESTERLANDIUM

E1\_197 v.1 Amplis grandisonisque, Leicesterlandie, verbis  
 2 implacabiliter vociferare soles,  
 3 uxor dum queritur quod fit tibi curta cupellex ;  
 4 fibula sed verbis aequiparanda tuis.

## AD HIPPIUM

E1\_198 v.1 Quanquam non simplex votum, facis attamen unum ;  
 2 nam praeter vinum nil petis, Hippe, bonum.

## AD FAUSTINUM

E1\_199 v.1 Da mihi, da semper, nam quod, Faustine, dedisti  
 2 esse datum nollem ; res cito parva perit.  
 3 Sin taedet, dandoque vilis imponere finem,  
 4 da semel, ut nunquam cogar egere datis.

## AD PHLOEN

E1\_200 v.1 Quid custodita de virginitate superbis,  
 2 jam licet annumeris ter tria lustra, Phloe ?  
 3 Intactam nam te cum vix tria lustra videbas,  
 4 haud potuit cassa vendere lena nuce.  
 5 Gloria virginitas formosis, dedecus aequae  
 6 turpibus est, aetas si sit utriusque gravis.

## AD VOLUMNIUM

E1\_201 v.1 Rident rusticulam, anseremque multi,  
 2 ignavos asinos, oves, bovesque ;  
 3 at non est homine imperitiore  
 4 irridendum animal magis, Volumni ;  
 5 tanto ridiculos magis, Volumni, est,  
 6 quanto plus sapere obtinet videri.  
 7 Nam quis non medicum excipit Ligonem,  
 8 vectum quadrupede, intimis cachinnis,  
 9 Coum qui colit atque Pergamenum ?  
 10 Multis sed sapit, imperatque multis  
 11 ut vitae dominus, tremorque mortis.  
 12 Tanto ridiculus magis, Volumni, est.

## AD MYCILLUM

E1\_202 v.1 Nullos non laudas, Suffenos, sive Cherillos,  
 2 seu quos in circo cruda juventa legit ;  
 3 candidus hinc censor dici contendis, at omnes  
 4 qui laudat, nullum laude, Mycille, beat.

## AD FURIUM

E1\_203 v.1 Semper ad arma soles, Furi, clamare ; cubili  
 2 sive lates, seu te compita plena vident.  
 3 Sed nunquam profers Veneris sint, Martis an arma ;  
 4 utcumque infelix, te duce, miles erit.

## AD HELYN

E1\_204 v.1 Captat amatores quoties se dicit amare ;  
 2 fallax obsequium est ; non amat, hamat Helys.

## AD VINCENTIUM

E1\_205 v.1 Dum placeo tibi, Vincenti, mea plurima poscis  
 2 mutua, te simul ac ceperit ira levis,  
 3 mox eadem quamvis male custodita remittis ;  
 4 lucrum est, Vincenti, displicuisse tibi.

## IN HEBRAM

E1\_206 v.1 Difficilis non est, nec amantem respuit unum ;  
 2 unum vero unum vix amat Hebra diem.

## AD CACCULAM

E1\_207 v.1 Dicere te invitum cuiquam male, Caccula, juras ;  
 2 invitus tune es (Caccula) causidicus ?



## AD CALVUM

E1\_208 v.1 Lingua proterva, rapax manus, et gula, Calve, profunda ;  
 2 haec tria sunt Davi commoda sola tui.  
 3 Illo praetereunte fremunt quacumque molossi ;  
 4 sentit et in primo limine nostra canis.  
 5 Adveniente coci remonent patinasque cibosque  
 6 artius et retinet pallia quisque sua.  
 7 Audito fugitant femellae ; Caccula quamquam  
 8 natus litigiis, illius ora timet.  
 9 Saepe domi ne te nunc visam terret imago  
 10 Orci, nam servat Cerberus ipse fores.  
 11 Diis genitos quaeras, hunc ni dimittis, amicos,  
 12 clavisque accinctos Amphitryoniades.

## AD PHILOCHERMUM

E1\_209 v.1 Quaeris tu quare tibi musica nulla placeret ;  
 2 quaero ego, cur nulli tu, Philoherme, places ?

## AD DOCTOS POETAS

E1\_210 v.1 Nullus Maecenas dabit hac aetate poetis  
 2 ut vivant ; melius sed bona fama dabit.

## AD RUSTICUM

E1\_211 v.1 Rustice, sta, paucis dum te moror, auribus adsis ;  
 2 dic age, cujas es ? Salsburiensis, ais ?  
 3 Pembrochi viduam num tu Sidneida nosti ?  
 4 Non : saltem natos ? Cum sit uterque potens ;  
 5 a thalamis alter regis celeberrimus heros ;  
 6 alter at in thalamis ? Proh tenebrose, negas ?  
 7 Inclitus ergo senex Hertfordius an tibi notus ?  
 8 Tantumdem : conjux quid speciosa senis ?  
 9 Non : non ? Anne tuum scis nomen ? Si id quoque nescis,  
 10 cetera condono hac conditione tibi.

## AD CACCULAM

E1\_212 v.1 Causidicus tota cum sis notissimus urbe,  
 2 atque alienas res irrequietus agas,  
 3 ducere cur cessas uxorem, Caccula ? Lites  
 4 non est ut fugias, litigiosus homo es.

## AD CALVUM

E1\_213 v.1 Atrionam ut pulchram laudas, ut denique bellam,  
 2 at minor hac Rhodius forte colossus erat.  
 3 Et capite, ac humeris superaret Amazonas omnes ;  
 4 ad quam, si confers, Penthesilea foret

5 qualis cum vetula pappat nutrice puella ;  
 6 sola gigantei est germinis illa fides.  
 7 Cum video, spectrum videor mihi (Calve) videre,  
 8 et vix luminibus cernere vera meis.  
 9 Cujus ne temere attentas tu basia, totum,  
 10 ejus in os poterit nam caput ire tuum.

## DE SACRA DOTE

E1\_214 v.1 Verba sacerdotem duo constituunt, sacer, et dos ;  
 2 saepe sed occurrit vir sine dote sacer.

## AD RUFUM

E1\_215 v.1 Quos toties nummos oras, tibi, Rufe, negare  
 2 relligio est ; gravius, sed dare, forsan erit.  
 3 Nam meus infaustus cunctis solet aureus esse,  
 4 et semper damni plus mea dona ferunt.  
 5 Conciet hinc Bacchus, vel fallax alea bellum ;  
 6 labe vel asperget non bene parta Venus ;  
 7 omnia sponte sua mala quae vitabit egestas :  
 8 nescis quas turbas plena crumena dabit.  
 9 Damnosos juveni currus invitus Apollo  
 10 concessit, nummos sic tibi, Rufe, nego.  
 11 Nec promissa deus potuit revocare nociva,  
 12 sed tibi promitto, sed tibi dono nihil.  
 13 Tu fortunatos qui prosint, quaere patronos ;  
 14 ast ego, ne noceant nostra, cavebo tibi.

## AD GALLUM

E1\_216 v.1 Perdidit ebrietas multos, tibi proficit uni,  
 2 Galle, licet valide membra caputque gravet.  
 3 Hinc morbum simulas et acuta pericula lecto  
 4 postridie stratus vix animamque trahens ;  
 5 tunc inimicitias componis et eximis iris  
 6 expositum pectus sollicitumque metu,  
 7 Et pacem accitis evincis ab hostibus. Omnes  
 8 exspiraturis nam decet esse pios ;  
 9 deinde reviviscis cuncto securus ab hoste,  
 10 et Martem Bacchum fallere, Galle, doces.

## AD CACCULAM

E1\_217 v.1 Quae speciem instaurant partes has, Caccula, verum est  
 2 ad speciem quod habes ; nec tamen ad speciem.

## AD STELLAM

E1\_218 v.1 Pictor formosam quod finxit, Stella, Minervam  
 2 carpis ; at hoc similis fit magis illa tibi.

## AD PONTICUM

E1\_219 v.1 Uxorem nosti Camerini, (Pontice) quam sit  
 2 toto deformis corpore et ore tetro :  
 3 casta tibi visa, et merito ; sed moecha reperta est ;  
 4 hanc vir hesterno prendit adulterio.  
 5 Proh, quantum saevisse putas ? Nil, Pontice, laetus  
 6 ipsam sed laudans coepit amare magis ;  
 7 nam credebat, ait, turpem prius ; atque adeo ut, se  
 8 praeter, qui ferret tangere nemo foret.

## AD BLANDINUM

E1\_220 v.1 Immemor esse tui dicor, Blandine, mearum  
 2 nulla tuum siquidem pagina nomen habet.  
 3 Sed Blandine, iterum atque iterum, Blandine legaris,  
 4 ne, Blandine, ferar non memor esse tui.

## AD MARIANUM

E1\_221 v.1 Prudens pharmacopola saepe vendit  
 2 quid pro quo, Mariane, quod reprendis.  
 3 Hoc tu sed facis, oenopola, semper.

## AD THOMAM MUNSONIUM, EQUITEM AURATUM ET BARONETUM

E1\_222 v.1 Quicquid in adversis potuit constantia rebus,  
 2 Munsoni, meritis accumulare tuis  
 3 addidit, et merito victrix dea, jamque sat ipse  
 4 fama et fortunis integer amplius eris.

## AD EUNDEM

E1\_223 v.1 Ne te spes revocet nec splendor vitreus aulae ;  
 2 in te, Munsoni, spes tua major erit.

## AD GULIELMUM STRACHAEUM

E1\_224 v.1 Paucos jam veteri meo sodali  
 2 versus ludere, musa, ne graveris,  
 3 te nec taedeat his adesse nugis,  
 4 semper nam mihi charus ille comptis  
 5 summus Pieridum unicusque cultor.  
 6 Hoc ergo breve, musa, solve carmen  
 7 Strachaeo veteri meo sodali.

E1\_225 v.1 Fit sine lege liber, salvo cui demere toto  
 2 particulas licet, aut apposuisse novas.  
 3 Sat lector, numeri ; numeris si sat tibi factum est,

## LIBER SECUNDUS

### AD SERENISSIMUM CAROLUM PRINCIPEM

E2\_1     v.1     Non veterem tibi dono librum, clarissime princeps,  
              2             tanquam donatum ; si tamen ire jubes,  
              3             splendorem fortasse novum trahet, et melior jam  
              4             prodibit cum se noveret esse tuum.

### AD LECTOREM

E2\_2     v.1     Lusus si mollis, jocus aut levis, hic tibi, lector,  
              2             occurrit, vitae prodita vere scias,  
              3             dum regnat Cytherea : ex illo Musa quievit  
              4             nostra diu, Cereris curaque major erat :  
              5             in medicos ubi me campos deduxit Apollo,  
              6             aptare et docuit verba Britanna sonis :  
              7             namque in honore mihi semper fuit unicus ille,  
              8             cujus ego monitis obsequor usque lubens.  
              9             Quid facerem ? Quamvis alieno tempore Phoebus,  
             10            en, vocat, et recitat pulveris ore scelus.  
             11            Respondente cheli, metuenda dulce sonanti,  
             12            quo sic perfudit mentem animumque meum,  
             13            cogerer ut chartis, male sed memor, illa referre  
             14            quae cecinit mira dexteritate deus.  
             15            Hinc rediit mihi musa vetus, sed grandior, et quae  
             16            nunc aliqua didicit cum gravitate loqui ;  
             17            Et nova non invita mihi, diversaque dictat,  
             18            omnia quae, lector candide, reddo tibi.

### AD LIBRUM

E2\_3     v.1     I nunc, quicquid habes ineptiarum  
              2             damnatum tenebris diu, libelle,  
              3             in lucem sine candidam venire  
              4             excursoris ope eruditioris :  
              5             exinde ut fueris satis polite  
              6             impressus, nec egens novi nitoris,  
              7             Mychelburnum adeas utrumque nostrum,  
              8             quos aetas, studiumque par, amorque,  
              9             mi connexuit optume merentes :  
             10            illis vindicibus nihil timebis  
             11            celsas per maris aestuantis undas  
             12            Rhenum visere, Sequanam, vel altum  
             13            Tybrim, sive Tagi aureum fluentem.

### AD PACEM DE AUGUSTISSIMA REGINA ELIZABETHA

E2\_4     v.1     O pax beatis unicum decus terris,  
              2             quam te lubens osculor, amabilis mater,  
              3             rerumque custos, et benigna servatrix !

4 Quae sola te tuetur integram nobis,  
 5 non illam amem, illam venerer omnibus dictis  
 6 factisque ? Pro illa unquam mori reformidem ?  
 7 Illam quis amens proditam exteris optet,  
 8 domi suis quae pacem et exteris donat ?

## IN CALVUM

E2\_5 v.1 Risi, Calve, hodie satis superque,  
 2 notorum quia quemque ut attigisti,  
 3 currentem licet et negotiosum,  
 4 sistebas, retinens, togaprehendens ;  
 5 tum demum rogitas equumne grandem  
 6 empturum sit, et optimum, et valentem ;  
 7 nec cessas odiosus abnuentem  
 8 unumquemque trecenties rogare.  
 9 Quin me jam decies eras de eodem  
 10 aggressus ; memini, fuit molestum.  
 11 Si quisquam interea tuum caballum  
 12 posset ridicule satis tabella  
 13 pro re pingere, squalidum, vietum,  
 14 morbosos timide pedes levantem,  
 15 pictor vendiderit prius tabellam  
 16 quam tu vendideris tuum caballum.

## AD CLONIUM

E2\_6 v.1 Fitne id quod petimus ? Mihi si persuaseris, inquis :  
 2 siccine nos semper ludis, inepte Cloni ?  
 3 Unum nunc utinam tibi persuadere liceret :  
 4 ut cito suspendas te, miser, illud erit.

## IN CRISPUM

E2\_7 v.1 Crispus amat socios, ut avara Lycoris amantes ;  
 2 ut libros Casinus bibliopola suos ;  
 3 Civis ut emptores Vincentius ; utque clientes  
 4 Caccula causidicus ; sacra sacrator Helix ;  
 5 non laudem, non quod verum mereantur amorem,  
 6 sed prodesse magis quod sua cuique solent.

## IN CALVUM

E2\_8 v.1 In circo modo, Calve, te prementem  
 2 ut vidi nitidae latus puellae,  
 3 sermonique avidae viam adstruentem ;  
 4 mox divam Venerem, Leporem, Amoremque  
 5 orabam tibi, ne inficetus illam  
 6 de grandi quid equo tuo rogares.

## IN OBITUM GUALTERI DEVOREUX FRATRIS CLARISSIMI COMITIS ESSEXIAE

E2\_9 v.1 Pilas volare qui jubebat impius

2 forata primus igne ferra suscitans,  
 3 ei manus cruenta, cor ferum fuit.  
 4 Fenestra quanta mobili hinc deae patet  
 5 ferire possit ut malos, bonos simul.  
 6 Quid alta fortitudo mentis efferae,  
 7 torive corporis valent ? Ruunt globi,  
 8 praeitque caecitas, et atra nubila,  
 9 sonique terror aethera et solum quatit.  
 10 Maligna fata, Devoreux, et unice,  
 11 et alme frater incliti ducis, sacro  
 12 tibi igne perdidere saucium caput,  
 13 equo labansque funebri, heu, acerbum onus  
 14 tuis, revectus arduum ad jugum redis ;  
 15 rotaque subgemente curribus jaces  
 16 molesta pompa fratri, et omnibus bonis.  
 17 Peribit ergo Rhona, pulsa corruet  
 18 fero canente classicum tuba sono,  
 19 et ultra stabis inter umbra caelites.

## AD MELLEAM

E2\_10 v.1 O nimis semper mea vere amata  
 2 Mellea, o nostri pia cura cordis,  
 3 quanta de te perpetuo subit mi  
 4 causa timoris !  
 5 Eminus quanquam jaculetur altus  
 6 aureos in te radios Apollo,  
 7 torqueor ne fictus amans in illis  
 8 forte lateret.  
 9 Et procul caelo pluvias cadentes  
 10 in sinus pulchros agitante vento,  
 11 horreo, insanum placidus tonantem  
 12 ne vehat imber.  
 13 Somnians, et res vigilans ad omnes,  
 14 excitor ; noctuque pavens dieque ;  
 15 saepe si vestra potuit quis esse  
 16 quaero sub umbra.

## DE OBITU PHILIPPI SIDNAEI EQUITIS AURATI GENEROSISSIMI

E2\_11 v.1 Matris pennigerum alites Amorum,  
 2 quid suaves violas per et venustas  
 3 nequicquam petitis rosas Philippum,  
 4 dumis usque Philip, Philip, sonantes ?  
 5 Confossum modo nam recepit Orcus,  
 6 omnes dum superare bellicosa  
 7 fama audet juvenis ; renuntiate  
 8 funestum Veneri exitum Philippi,  
 9 vatem defleat ut suorum Amorum.

## IN MELLEAM

E2\_12 v.1 Mellea mi si abeam promittit basia septem ;  
 2 basia dat septem, nec minus inde moror :  
 3 euge, licet vafras fugit haec fraus una puellas,

4 basia majores ingerere usque moras.

IN CULTELLUM

E2\_13 v.1 Cultelle, Veneri te quis iratus faber  
2 tam triste dira contudit ferrum manu ?  
3 Labella bellae caesa funesto scatent  
4 per te cruore : ah nectaris quantum perit !  
5 Heu, heu, puellae personat planctu domus ;  
6 furit, dolori tantus accessit timor ;  
7 nec acquiescit uspiam ; impotens loqui,  
8 et basiare jam, quod est miserrimum :  
9 at tu sceleste frustulatim diffluens  
10 poenas Amori, sed nimis seras, dabis.

AD CASPIAM

E2\_14 v.1 Virgo compressa est, invitaque, Mellea jurat ;  
2 furem cur nollet prodere voce, rogo.  
3 Se mala respondit clamare cupisse, prehendi  
4 solam cum solo sed metuisse viro.  
5 O pudor insignis facilisque modestia, qualem  
6 optarem soli, Caspia dura, tibi !

AD EANDEM

E2\_15 v.1 Phoenicem simulas, Caspia, Persicam,  
2 quae nunquam sociis ardet amoribus,  
3 flamma sed moriens nascitur e sua.  
4 Exors tu pariter, solaque amantium  
5 congressus fugis, et contiguas faces ;  
6 verum insana diem ne reparabilis  
7 exspectes volucris, fataque vivida ;  
8 formae flamma etenim nulla tuae parem  
9 quibit reddere, non si Venus aurea  
10 aut pulchrum in cinerem se Charites dabunt.

AD LABIENUM

E2\_16 v.1 Quae celare cupit non peccat femina, dicis,  
2 quae celat, peccat ; sed, Labiene, minus.

IN CARINUM

E2\_17 v.1 Cogito saepe, Carine, sed infeliciter, unde  
2 signarit vultus tanta rubedo tuos :  
3 nam sumptus ne sis vinosus terret, avaro  
4 conditur gelida nec nisi cena fame.  
5 Porro incenatus nonnumquam, sordide, dormis,  
6 aridulusque siti somnia vana vides.  
7 Esurientis at ora magis pallore notantur,  
8 et macilenta creat livida signa fames.  
9 Quaero igitur tanti quae sit tibi causa ruboris ;

10           forsitan hanc speciem pictus ab arte petis :  
 11       sed reliqua ut pingas quare vis pingere nasum  
 12           non video ; totusque haereo et excrucior.

## IN MELLEAM

E2\_18   v.1     Anxia dum natura nimis tibi, Mellea, formam  
           2           finxit, fidem oblita est dare.

## AD CALVUM

E2\_19   v.1     Italico vultu donas mihi, Calve, machaeram ;  
           2           more Britannorum protinus accipio.  
           3     Id mi succenses ; nunc ergo remittere conor ;  
           4           quo more id faciam non tamen invenio.

## AD NAEVOLAM

E2\_20   v.1     Desine, nam scelus est, neu perdere, Naevola, tentes  
           2           quod mihi suspirat Mellea basiolum.  
           3     Qui ferro necat, aut rigido cor transigit ense,  
           4           terrenam molem dividit ille animae.  
           5     Dulcia sed temere qui basia solvit amantum,  
           6           caelitus unitas dividit ille animas.

## AD CALVUM

E2\_21   v.1     Femina cum pallet ne dicas pallada quod sit,  
           2           si, Calve, ingenui munus obire velis :  
           3     languentem reficit mulier laudata colorem,  
           4           totum quem formae credita culpa premit.

## IN LYCUM

E2\_22   v.1     Cum, Lyce, vovisti serum tibi funus, opinor  
           2           te latuit lapidem rene latere tuo.

## AD LUCIUM

E2\_23   v.1     Crassis invideo tenuis nimis ipse ; videntur  
           2           satque mihi felix qui sat obesus erit.  
           3     Nam vacat assidue mens illi, corpore gaudet,  
           4           et risu curas tristitiamque fugat.  
           5     Praecipuum venit haec etiam inter commoda, Luci,  
           6           quod moriens minimo saepe labore perit.

## AD MARINUM

E2\_24   v.1     Parvi tu facis optumos poetas ;  
           2           laudas historicos, amasque laxum  
           3           sermonem, pedibus gravis Marine ;



4 sparsas nec sale fabulas moraris.  
 5 Cur mirabilis omnibus, Marine,  
 6 scriptor fit Plato ? Quippe fabulosus.

## IN MAURUM

E2\_25 v.1 Tres elegos Maurus totidemque epigrammata scripsit,  
 2 supplicat et musis esse poeta novem.

## IN COTTAM

E2\_26 v.1 Cotta per aestates ut in hortis dormiat urgent  
 2 uxor obesa, Canis, torrida zona, torus.

## DE CATULLO ET MARTIALE

E2\_27 v.1 Cantabat Veneres meras Catullus ;  
 2 quasvis sed quasi silva Martialis  
 3 miscet materias suis libellis,  
 4 laudes, stigmata, gratulationes,  
 5 contemptus joca, seria, ima, summa ;  
 6 multis magnus hic est, bene ille cultis.

## AD MEROEN

E2\_28 v.1 Scortarum optes, Meroe nasuta, maritum ;  
 2 diminui nasum sic puto posse tuum.

## AD LUPUM

E2\_29 v.1 Adversus fortem poterit vis nulla valere,  
 2 et fateor ; sed quis tum, Lupe, fortis erit ?

## AD HAEMUM

E2\_30 v.1 Notorum mandas morientum nomine libro,  
 2 atrum quem merito funereumque vocas :  
 3 sin cupis, Haeme, pius laetusque notarius esse,  
 4 inscribas vivos ; sic liber albus erit.

## AD OTTUELLUM

E2\_31A v.1 Promissis quoties videt capillis  
 2 blanditur mihi tonsor Ottuellus,  
 3 cum vix curticomu feret salutem.  
 4 An tonsoribus, ut suis puellis,  
 5 chari sunt et amabiles comati,  
 6 his formae studio, lucelli utrisque ?

## IN LARGUM

E2\_31B v.1 Scripsit historiam bene Largus, nam scit apud se  
2 quid per sex annos ederit aut biberit

## AD PHILOCHERMUM

E2\_32 v.1 Quae potuit rivos retinere et saxa movere  
2 musica, te nulla parte, vel arte, movet ;  
3 quod facit ergo cave, Philoherme, tarantula vulnus,  
4 ictus enim, ni fit musica grata, peris.

## AD IANUM

E2\_33 v.1 Cur tibi displiceat tua, Jane, quod uxor ametur ?  
2 An tibi quam nemo possit amare placet ?

## AD LAURENTIUM MYCHELBURNUM

E2\_34 v.1 Quis votis tibi, somne, supplicabit  
2 tam surdo atque hebeti deo, clientem  
3 qui sex continuas jacere noctes  
4 molli me vigilem toro sinebas,  
5 disperdique vaga cor inquietum  
6 fessa et lumina cogitatione ?  
7 Sed postquam salibus cubilibusque,  
8 Laurenti, excipior tuis, solutos  
9 cepit grata simul quies ocellos.  
10 Quod sane ob meritum puella si quae,  
11 Laurenti, vigiles queritur horas  
12 dum pulchra speculo intuetur ora,  
13 mittam ad te, lepidum deum soporis.

## AD IUSTINIANUM

E2\_35 v.1 Tu tamquam violas, laurum, et thyma dicis olere  
2 os consobrinae, Justiniane, tuae,  
3 ac veluti minio buccas, et labra notari :  
4 ipso quin minio picta labella rubent,  
5 atque genae ; floresque remansos spiritus halat ;  
6 ex vero omnia habet ; sed nihil ex proprio.

## IN COTTAM

E2\_36 v.1 Non ego ne dicas vereor si quid tibi dico ;  
2 sed ne non dicas, Cotta, sed adjicias.

## AD CASPIAM

E2\_37A v.1 Asperas tristis minitetur iras,  
2 spemve promittat facies serenam,  
3 semper horresco, quonian satis te,

4 Caspia, novi.  
 5 Cum furis pulso retrahis capillos,  
 6 evocas morsu rigido cruorem,  
 7 quicquid occurrit, nimis a perite  
 8 dextera torquet  
 9 fulmen hoc te terribilem, cruentam  
 10 sed manus reddit furibunda, et hinc te  
 11 sive ridentem metuo, benigne  
 12 sive loquentem.  
 13 Forte sopitum haud aliter leonem  
 14 conspicit silvis tremulus viator,  
 15 et pedem flectens cavet excitari  
 16 ne fera possit.

## AD FRANCISCUM MANBAEUM

E2\_37B v.1 Dum vagus ignotas veheris, Manbaee, per oras  
 2 noctes atque dies vela notosque queror.  
 3 Quam vellem misero qui te mihi surpuit illi,  
 4 si liceat, vento diripuisse caput.  
 5 Effossisque oculis jugulum incidisse profano,  
 6 ne cui tale dehinc spiret ab ore malum.

## IN GALBAM

E2\_38 v.1 Natum Galba suum, domesticumque,  
 2 extremus quasi Persa sit, vel Indus  
 3 tractat, quod nothus est ; nec alloquendum  
 4 censet, more nisi et stilo insolenti,  
 5 et nudo capite, hospes ut videri  
 6 omnino novus exterisque possit ;  
 7 annon Galba satis superque ineptit ?

## IN NERVAM

E2\_39 v.1 Abstrahis a domini cena te, Nerva, sacrati,  
 2 nec tamen ut caecus numinis hostis abes ;  
 3 nec tibi quod panis vel vinum displicet : immo  
 4 invitamenti vim levioris habent.  
 5 Causa duplex prohibet ; quia ventri nil emis una ;  
 6 altera quod nimis haec sit sibi cena brevis.

## AD NOBILISSIMUM VIRUM GULIEMUM PERCIUM

E2\_40A v.1 Gulielme gente Perciorum ab inclita,  
 2 senilis ecce projicit nives hiems,  
 3 tegitque summa montium cacumina :  
 4 et aestuosus urget hinc Notus, gelu  
 5 coactus inde Thracius, rapit diem  
 6 palustris umbra, noxque nubibus madet.  
 7 Tibi perennis ergo splendeat focus,  
 8 trucemque plectra pulsa mulceant Jovem :  
 9 refusus intumescat Euhius sciphis,  
 10 novumque ver amoenus inferat jocus ;

11 novas minister ingerat faces, ruit  
 12 Glocestriensium in te amica vis, simul  
 13 furorem ut hauriant levem, facetiis  
 14 simulque molle lusitent per otium.

DE THOMA GRIMSTONO ET IOHANNE GORINGO

E2\_40B v.1 Miror apud Gallos quid fortis pectore et armis  
 2 noster Grimstonus quidve Goringus agat.  
 3 Nulli unquam bello melius potuere mereri,  
 4 nusquam virtuti terra maligna magis.

AD EDMUNDUM SPENCERUM

E2\_40C v.1 Sive canis silvas, Spencere, vel horrida belli  
 2 fulmina, dispeream ni te amam, et intime amem.

AD BASSUM

E2\_41 v.1 Indiget innumeris vir magnus ; major at illo est  
 2 omnibus his quisquam, Basse, carere potest.

IN HYRCAMUM ET SABINUM

E2\_42 v.1 Hyrcamum graviter Sabinus odit,  
 2 Hyrcamusque male invicem Sabinum ;  
 3 Hyrcami cilia atque caecitatem  
 4 rides, ille tuam, Sabine, barbam  
 5 hirsutam, indomitam, et quasi cacatam.  
 6 Alternis odiis peritis ambo,  
 7 incondite itidem superbientes  
 8 ambo, tum tetrici, atque curiosi,  
 9 exsortes comitum, tenebrici ambo ;  
 10 vos sic unanimes fere iidem et ambo,  
 11 quare tam male convenitis ambo ?

IN RUFUM

E2\_43A v.1 Nupsit anus, sed amans dentes non Isba malignos  
 2 sustinet ut possit, Rufe, nocere tibi.  
 3 Nam quem tritum habuit felix modo despuit unum,  
 4 jamque suus passer, jamque columba tua est.  
 5 Et tenero faciet lepidissima murmura rostro,  
 6 basia per morsus nec metuenda dabit.  
 7 Femineo placeant mala immatura palato,  
 8 sed rugosa viros canaque poma juvent.  
 9 Rufe, novo fas sit tantum vovisse marito,  
 10 ne reparet dentes vivida nupta suos.

IN CASPIAM

E2\_43B v.1 Sin unquam quae me odit semper Caspia amaret,

2 o quam firma ipso contra in amore foret !

AD ACCAM

E2\_44 v.1 Partem das animae, sed quae tibi tota fruenda est ;  
2 tu, mihi da partem qua licet, Acca, frui.

IN CARINUM

E2\_45A v.1 Pulvilli totidem colore, vultu,  
2 textura, imparilique sectione  
3 distincti, in tenebras tuas, Carine,  
4 mirabar quibus artibus venirent.  
5 Perspexi modo ; scilicet tabernas  
6 omnes despolias, trahens ab illis  
7 ornamenta tuum in cubiculillum :  
8 quae postquam subigis tuis rapinis  
9 ignotos penitus lares subire,  
10 more istinc faciunt, nec est stupendum,  
11 pulvilli siquidem tui, Carine,  
12 jam spectent varie se, et insolenter.

IN RUSTICUM

E2\_45B v.1 Glandem in fatidicam mutatum stultus amator  
2 rivali insultans a Jove finxit avum ;  
3 at rivalis ait, nequid mirere puella,  
4 de quercu ob facinus nempe pependit avus.

IN BERINUM

E2\_45C v.1 Tres baccas ederae vorat Berinus,  
2 de repente fit inclutus poeta.

IRAE

E2\_45D v.1 "Scelesta, quid me ? Mitte, jam certum est, vale,  
2 longe remotas persequar terrae plagas,  
3 tuis, vel umbras Tartari, insidiis procul.  
4 Nec me retentare oris albicans rubor,  
5 nec exeuntum lucidum hinc et hinc jubar  
6 revocare poterit. Improba aeternum vale."  
7 Ut dubia certas sensit irarum minas,  
8 perculsa tremulo cecidit ad pedes metu ;  
9 "Quid " misera dixit " sum merita dignum nece ?  
10 Amans quod in te tam tetrum admisi nefas,  
11 ut me relinquant perditam, ut pro me tuos ?  
12 Ah siste, saevis imperes iris modum,  
13 nec te immerentem perde. Quid paras vide :  
14 a me jam ut abeas poscis exilium tibi.  
15 Mane per has lacrimas, ocelle mi, precor,  
16 respice tandem, amans ne amantem deseras."  
17 Sub haec furenti mi redardescit dolor,

18 pluraque parantem dicere his resequor prius :  
 19 "Perjura nullos aethere horrescis deos,  
 20 nec vindicantis scelera Adrasteae faces ?  
 21 Impura non tu maria, terras, sidera  
 22 adhibita falso polluis, spreta fide ?  
 23 Ah dulce nostros foedus ignes alligans  
 24 per te caducum cecidit, et tamen rogas  
 25 cur triste pectus opprimat silentium ?  
 26 Devota labra, mique sacratum femur  
 27 ejectus aequore naufragus miles premit.  
 28 Disrumpor, eheu primulo vidi die  
 29 his exeuntem foribus ipsum militem,  
 30 his ipse ocellis militem, et tamen rogas  
 31 cur triste pectus opprimat silentium ?  
 32 Vale scelestas, vafra, foedifraga vale,  
 33 nec me retentes, nec per hanc guttam obsecres  
 34 summis natantem palpebris, corde inscio.  
 35 Obfirmor, intuere, postremum vides,  
 36 nunc abeo, jam nunc ultimum dico vale."  
 37 Jam taceo, pectus opprimit silentium.  
 38 Continuo volucres excipit pedes furor,  
 39 effugio solus deviis errans locis  
 40 illam perosus, me, meos, diris agens ;  
 41 "Quicquid morae spem dederat in fugam date."  
 42 Iras inanes risit aethereus puer,  
 43 frustra pectus aestuans emolliit :  
 44 respicio, lenis imber irrorat genas,  
 45 quid hoc ? Amores dissidens odium parit,  
 46 sedantque mihi porro fluctivomum mare.  
 47 Amo, peruro, redeo, miseram sordibus  
 48 Et lacrimis oppletam et umbris conspicio,  
 49 supremus animum vix retardavit pudor  
 50 quin impotentiae suae indicium daret.  
 51 Tandem facetam texui somnis moram,  
 52 horrenda referens visa, caedes, vulnera,  
 53 vultus relictas luridos, tabo illitos,  
 54 aut insequentem summa per juga montium.  
 55 Haec comminisci verus edocuit amor.  
 56 Assensit illa, et sensit artem subdola,  
 57 sed tacita simulat uda nectens oscula ;  
 58 o suave amoris dissidium ! Ita turtures  
 59 pugnando jungunt rostra dulci murmure.

## DE MORTE CANIS

E2\_46 v.1 Desinite, o pueri, jentacula vestra timere,  
 2 non eritis nostrae postea praeda cani :  
 3 quod lacera scit plebs errans per compita veste,  
 4 cur manet ex hujus parta quiete quies.

## IN CREDULOS CIVES

E2\_47 v.1 Bis sex Londinum vita concedit in una,  
 2 bis sex juratos urbs speciosa vocat.  
 3 Dispeream praeter speciem vocemque virorum  
 4 bis sex istorum millia si quid habent.

5 Nam sensus, animosque suos in iudice ponunt ;  
 6 ex se non norunt ore favere reis :  
 7 servatum quis enim, cui iudex defuit, unum  
 8 secula per bis sex vidit in urbe reum ?

## AD MELLEAM

E2\_48 v.1 Scelesta, quid me ? Mitte, jam certum est, vale :  
 2 longe repostas persequar terrae plagas,  
 3 tuis vel umbras Tartari fucis procul.  
 4 Nec me retentare oris albicans rubor,  
 5 nec exeuntem lucidum hinc et hinc jubar  
 6 lenire speret : Circe, in aeternum vale.  
 7 Rides, inepta ? Siccine iratti stupes  
 8 minas amantis ? Sic genas guttis lavas ?  
 9 Magisne rides ? Tam meus suavis tibi est  
 10 discessus ? At nunc non eo, ut fleas magis.

## IN TURBONEM

E2\_49 v.1 Turbo, deos manes celsi tu pondere gressus  
 2 tota in se terres ne sua tecta ruant.

## IN CASPIAM

E2\_50 v.1 "Si quid amas," inquis, mea Caspia, "Desine amare ;  
 2 flammis ne caleant sic prohibere potes. "  
 3 Ecquando caelum frondescit ? Terra movebit  
 4 astra ? Vel auditis non tremet agna lupis ?  
 5 Omnia naturae jam se contraria vertant ;  
 6 aspera sic tandem Caspia mitis erit.

## IN LYCUM

E2\_51 v.1 Quod pulcher puer est, potes videre ;  
 2 quod te blandus amat, potes videre ;  
 3 quod tecum bibit, et potes videre ;  
 4 sed quae Lesbios impudenter audet  
 5 a tergo, Lyce, non potes videre.

## AD AFRAM

E2\_52 v.1 Purgandae praefectum urbis notat, Afra, lutosa  
 2 frons tua neglecti muneris esse reum.

## AD CASPIAM

E2\_53 v.1 Ne tu me crudelis ames, nec basia labris  
 2 imprime, nec collo brachia necte meo.  
 3 Supplex orabam satis haec, satis ipsa negabas,  
 4 quae nunc te patiar vix cupiente dari.  
 5 Eia age jam vici, nam tu si femina vere es,

6 haec dabis invito terque quaterque mihi.

AD AMOREM

E2\_54 v.1 Cogis ut insipidus sapiat, damnose Cupido,  
2 mollis at insipidos qui sapuere facis.  
3 Qui sapit ex damno misere sapit ; o ego semper  
4 desipuisse velim, sis modo mollis, Amor.

AD PAULAM

E2\_55 v.1 ŪGrates, Paula, tuis ago libenter  
2 magnis pro meritis, anus jocosa ;  
3 languenti mihi quae diem diemque  
4 assidens, strepitu et levi cachinno  
5 sustentare animum obrutum solebas.  
6 Nec certe ingenium moror retusum,  
7 absurdumque satis ; valere apud me  
8 debet plus animi tui voluntas ;  
9 hausta non pharetra facetiarum,  
10 ridendam quoque te dabas amico.

AD CASPIAM

E2\_56 v.1 Cur istoc duro lacrimae de marmore manent  
2 quaeris, naturae, Caspia, sacra docens.  
3 Docta sed in causas nimium descendis inanes,  
4 nam lacrimas haec flent saxa miserta meas.

IN BERINUM

E2\_57 v.1 Demonstres rogo mi tuos amores,  
2 non ut surripiam tibi, Berine,  
3 sed tanta ut scabie abstinere possim.

IN ERRICUM

E2\_58 v.1 Tene Lycus faecem dicit ? Tene, Errice, faecem.  
2 Ah nimis indigne dicit, et improprie,  
3 faex a materia siquidem meliore creatur,  
4 at tua stirps tecum sordida tota fuit.

IN AEMILIAM

E2\_59 v.1 Cum sibi multa dari cupiat, multisque placere,  
2 quo probior tanto est nequior Aemilia.  
3 Namque operam accepto Thais pro munere reddit ;  
4 illa nihil, sed lucrum ex probitate facit.  
5 Ora, manus, oculosque gerat matrona pudicos ;  
6 unius haud partis sola pudicitia est.  
7 Omnibus arridere, omnesque inducere amantes,  
8 quanquam intacta potest, nulla pudica potes.



## IN LYCIUM ET CLYTHAM

E2\_60 v.1 Somno compositam jacere Clytham  
 2 advertens Lycius puer puellam,  
 3 hanc furtim petit, et genasprehendens  
 4 Molli basiolum dedit labello.  
 5 Immotam ut videt, altera imprimebat  
 6 sensim suavia, moxque duriora ;  
 7 istaec conticuit, velut sepulta.  
 8 Subrisit puer, ultimumque tentat  
 9 solamen, nec adhuc movetur illa  
 10 sed cunctos patitur dolos dolosa.  
 11 Quis tandem stupor hic ? Cui nec anser  
 12 olim, par nec erat vigil Sibylla ;  
 13 nunc correpta eadem novo veterno,  
 14 ad notos redit indies sopores.

## IN EOSDEM

E2\_61 v.1 Assidue ridet Lycius Clytha ut sua dormit ;  
 2 ridet et in somnis sed sua Clytha magis.

## IN OVELLUM

E2\_62 v.1 Dedecori cur sit multum quod debet Ovellus ?  
 2 Nam fidei quis non esse fatetur opus ?

## AD MELLEAM

E2\_63A v.1 Insidias metuo quoties me, Mellea, pulchrum  
 2 dicis, sic capitur non bene cautus amans ;  
 3 formosusque sibi visus se credit amari,  
 4 nequicquam ; specie luditur ipse sua.

## AD EDOARDUM MYCHELBORNUM

E2\_63B v.1 Cum tibi tam cordi est, age, perduto arundine pisces,  
 2 fleverit hoc quamvis Pythagorea anima.  
 3 Fleveris ipse licet cum febris citaveris alga,  
 4 aut penitus lapso cum pede tundis aquas.  
 5 Vis vera ? Hoc studio, ne sit jucundius, at te  
 6 tempora in hoc nolim tam bona conterere.  
 7 Quanto elegis melius teneros captabis amores,  
 8 vel tua silvestrem ludet arundo deam.

## IN GLORIOSUM

E2\_64 v.1 In caput, Herme, tuum subgrundia nocte ruebant,  
 2 haud istoc essent scilicet ausa die.

## IN PHARNACEM

E2\_65A v.1 Pharnax haud alii ut solent novellum  
 2 si quando famulum sibi recepit  
 3 in tectum, faciem viri, torosque  
 4 inspectat ; studia ingenive dotes ;  
 5 sed quantum esuriens edat bibatque.

## IN COTTUM

E2\_65B v.1 Ille miser Cottus quid agit nisi cassa canendo  
 2 ut placeat nulli dum placet ipse sibi ?

## IN CASPIAM

E2\_66A v.1 Per nemus Elysium Dido comitata Sichaeum  
 2 pallida perpetuis fletibus ora rigat,  
 3 Et memor antiqui semper, Narcisse, furoris  
 4 umbram sollicitas per vada nigra tuam.  
 5 Debet ab adverso quisquis tabescit amore  
 6 supplicium Stygia ferre receptus aqua.  
 7 Caspia, si pro te morientem poena moratur,  
 8 esto tuis semper jungere labra labris.

## AD HYMETTUM

E2\_66B v.1 Unde tibi ingratae subeunt fastidia vitae,  
 2 dulce Hymette, tua non nisi sponte miser ?  
 3 Nec pede transverso incedis nec poplite torto,  
 4 non oculo lippis, non tibi naris hiat :  
 5 nullus ab injusto crescit tibi fenore census,  
 6 non tua mens fraudis conscia nec sceleris :  
 7 funera non fratris, non sunt tibi flenda sororis,  
 8 nec catulum audivi condoluisse tuum.  
 9 Per te igitur nostros referas obtestor amores  
 10 quo demum invisita est nomina vita tibi ?  
 11 Jam scio, tu taceas, causae nimium esse recordor,  
 12 duxisti uxorem : jam morere, haud veto te.

## IN CORVINUM

E2\_67 v.1 Corvinus toties suis jocatur,  
 2 nullum reddere suaviora posse,  
 3 seu nymphas cecinit, trucesve pugnas,  
 4 seu quicquid cecinit bonum, malumve ;  
 5 hoc de se toties refert facetus,  
 6 ut tandem fatuus sibi ipse credat.

## AD MELBURNIAM

E2\_68 v.1 Olim inter silvas, et per loca sola, Dianam  
 2 cum nymphis perhibent abstinuisse viris ;  
 3 votivasque sacris seclusas aedibus, atram

4 fama quibus pepulit religiosa notam.  
 5 Tu sed pulchra, diserta, frequens, Melburnia, vivis ;  
 6 virgo et anus nullis nota cupidinibus.

## AD THOMAM MYCHELBURNUM

E2\_69 v.1 Tu quod politis ludere versibus  
 2 fratrum elegantum tertius incipis,  
 3 Thoma, nec omnes occiduas sinis  
 4 horas relabi prorsus inutiles ;  
 5 Diis sic beatis me similem facis,  
 6 ut laeter una jam numero impari.  
 7 Ergo peraeque dividuum tribus  
 8 me dono vobis, quilibet integrum  
 9 ut Campianum possideat sibi,  
 10 primus, secundus, tertius invicem :  
 11 de parte ne sis sollicitus tua.

## AD CAROLUM FITZGEOFRIDUM

E2\_70 v.1 Carole, si quid habes longo quod tempore coctum  
 2 dulce fit, ut radiis fructus Apollineis,  
 3 ede, nec egregios conatus desere, quales  
 4 nescibit vulgus, scit bona fama tamen.  
 5 Ecce virescentes tibi ramos porrigit ultro  
 6 laurus ; et in lauro est vivere suave decus.

## AD MENUM

E2\_71 v.1 Te quod amet, quantumque, palam solet omnibus Hermus  
 2 dicere, sic fratres, sic quoque, mene, patrem,  
 3 et quoscumque tuos ; tacet is de conjuge tantum,  
 4 horum quam vestrum plus tamen extat amor.  
 5 Exemplo quis enim chari livescit amici ?  
 6 Multorum invidiam sed trahit omnis amans.  
 7 Ergo leves populi contemnas, Mene, susurros :  
 8 vero vis testi credere ? Crede tibi.  
 9 Livida vix unquam propriis innititur alis  
 10 Fama, sed Icariis ; dum volat illa, perit.

## AD PAPILUM

E2\_72 v.1 Cum tibi barba foret quam Zeno, quamque Cleanthes  
 2 optaret, totam deputat Hanno tibi,  
 3 ingentem in te vindictam meditatus ut hostis ;  
 4 quod damnum ut repares, Papile, jure paras :  
 5 causidicosque gravi turgenscens consulis ira,  
 6 quam spe lucrifici laetitiaeque fovent :  
 7 ex notis fore juratos, quod perditur oris  
 8 qui decus agnoscent, rem graviterque ferent ;  
 9 et mulctam statuent inimici nomine grandem :  
 10 hoc suadent illi, Papile, tuque voras.  
 11 Sed mihi, quantumvis in neutro jure perito,  
 12 auscultato parum : sint, age, dicta prius

13 omnia vera, tamen, citius quam causa adolescet,  
14 tota renascetur, Papile, barba tibi.

## AD PHILOMUSUM

E2\_73 v.1 Ridiculum plane quiddam facis atque jocosum,  
2 et surdo et stupido dum, Philomuse, canis.  
3 Omnia nam surdus miratur, sed nihil audit ;  
4 contra audit stupidus cuncta, probatque nihil.

## IN MILVIUM

E2\_74 v.1 Quam multa veluti somnia accidunt vivis,  
2 quae cum palam vident libenter haud credunt !  
3 Quis sat stupescit ? Torvus et senex ille,  
4 profectus ima ex sorde, Milvius terram  
5 ut nauseet, equesque urbe nobilis tota,  
6 matronam et hanc, et illam, et alteram stupret !  
7 Est nostra tamquam turpe somnium vita ;  
8 id comprobat mors ipsa, cujus adventu  
9 expergefata mens suum petit caelum,  
10 terrestiumque infra superbias ridet.

## AD CRISPUM

E2\_75 v.1 Crispe, mones ut amem, sed caute, ne mihi probro  
2 sit quod amem ; caute numquis amare potest ?  
3 Est velut ignis amor, nihil est detectius illo,  
4 protinus indicio proditur ipse suo.

## AD CALVUM

E2\_76 v.1 Nunquam perficies, testeris ut omnia, Calve,  
2 numina, quin minus assentiar atque minus.  
3 Credita quae primo res est, repetita rubescit,  
4 labitur et nimium sollicitata fides.  
5 Tam multis homini nemo se purgat amico :  
6 invidiam toties deposuisse parit.

## AD EDOARDUM MYCHELBURNUM

E2\_77A v.1 Ibit fraternis elegis ornata sub umbras,  
2 (munia si ad manes perveniunt superum)  
3 et multum veneranda leves, Edoarde, tenebit,  
4 aspectuque animas exequisque soror.  
5 O felix si non fata importuna fuissent,  
6 si non immature optima deficerent !  
7 Quid nunc perpetuum fas est sperare beatis ?  
8 Quid connubia ? Quid floridae amicitiae ?  
9 Aetas quid ? Nondum sex luna impleverat orbes  
10 deseruit juvenem cum malefidus Hymen :  
11 cum desiderio sed enim decedere vita,  
12 non mors, longa mora est ; non obit aeger, abit.

## DE RERUM HUMANARUM INCONSTANTIA

E2\_77B v.1 Constat nulla dies, anno superimminet annus,  
 2 quicquid mortale est hora propinqua rapit.  
 3 Sic moriemur ? Ad haec ludibria nascimur ? Et spes  
 4 fortunaequae hominum tam cito corruerint ?

## IN OBITUM FRANCISCI MANBAEI

E2\_78 v.1 Quid tu ? quid ultra, Phoebe, languenti diem  
 2 aperis ? Beatos ista lux magis decet ;  
 3 sordes et umbras semper infelix amat  
 4 aerumna, misero nulla nox atra est satis.  
 5 Heu, heu, sequar quocumque me rapiet dolor,  
 6 et te per atra Ditis inferni loca,  
 7 Manbaee, lacrimis ora perfusus, petam ;  
 8 flectamque manes planctu et infimos deos,  
 9 liminaque dira molliam, ac usque horridas  
 10 Acherontis undas ; cuncta nam pietas potest :  
 11 quaqua redibis maeror inveniet viam.  
 12 Tum rursus alma luce candebit polus,  
 13 ultroque flores terra purpureos dabit ;  
 14 omnia virebunt ; sentiet mundus suum  
 15 decus renasci, sentiet tremulum mare,  
 16 suumque flebit ipse Neptunus nefas.  
 17 Ah, siste vanos impetus, demens furor,  
 18 ostiaque mente ficta Ditis excute,  
 19 occlusa vivis, nec reclusa mortuis :  
 20 fac jure tu quod quilibet miser potest,  
 21 luge ; supersit hic tibi semper labor.

## DE HOMINE

E2\_79 v.1 Est homo tanquam flos, subito accrescit et aet ;  
 2 vis hominem floremque una eademque rapit.  
 3 Ceu flos est ? Minus est : nam mores utrumque coaequat,  
 4 quam bene flos, hominis tam male funus olet.

## IN BARNUM

E2\_80 v.1 Mortales decem tela inter Gallica caesos,  
 2 Marte tuo perhibes, in numero vitium est :  
 3 mortales nullos si dicere, Barne, volebas,  
 4 servasset numerum versus, itemque fidem.

## AD LUPUM

E2\_81 v.1 Cum tacite numeras annos patris improbus haeres,  
 2 sic, Lupe, succlamas, omnia tempus habent ;  
 3 sumptus sive gravet, seu te mulctaverit uxor,  
 4 concludis vehemens, omnia tempus habent.  
 5 Sic semper ; chymico nunc te committis Orello,

6           mox vere ut dicas, omnia tempus habent.

AD CASPIAM

E2\_82    v.1    Nescio quid aure dum susurras, Caspia,  
          2           latus sinistrum intabuit totum mihi.

AD TURANIUM ET NEPHEIUM

E2\_83    v.1    Mi Turanule, tuque, mi Nephei,  
          2           quin effunditis intimos chachinnos,  
          3           hem, murum prope dirutum videte  
          4           coram qui peragit domi latenter  
          5           quod debent saturi ; ecce servus autem  
          6           caute praemonitus, caputque nudus  
          7           stat praefixus hero, ne obambulantes  
          8           spectent luminibus parum benignis ;  
          9           dextra composite tenet galerum  
         10          a tergo dominum lubens adorans ;  
         11          nasum sed graviter premit sinistra  
         12          a tergo dominum haud lubens adorans.  
         13          O servum lepidum, probum, pudicum,  
         14          vultu qui superat tacente mimos,  
         15          Tarltonum et strepiti decus theatri !

AD IANUM

E2\_84    v.1    Sabbato opus nullum nisi per scelus igne piandum  
          2           posse exerceri, fervide Jane, putas :  
          3           Jane, voras medici pilulas, at non operantur,  
          4           has puto te sacro sumere posse die.

IN SANNIUM

E2\_85    v.1    Quae ratio, aut quis te furor impulit, improbe Sanni,  
          2           femineum ut sexum mente carere putes :  
          3           cum mea diffusas felix prae pectus amantum  
          4           unica possideat Caspia centum animas.

AD ARNOLDUM

E2\_86A   v.1    Non si displiceat tibi vita, Arnolde, graveris ;  
          2           hac ut displiceat conditione data est.

DE SE

E2\_86B   v.1    Usus et hoc natura mihi concessit utrimque  
          2           ut sim pacis amans, militiae patiens.

## AD GENIUM SUUM

E2\_87 v.1 Quid retines ? Quo suadet Amor, Jocus atque Lyaeus,  
2 ibo ; sed sapiam ; jam sine, chare geni.

## AD NASSUM

E2\_88 v.1 Commendo tibi, Nasse, paedagogum  
2 Sextillum et Taciti canem Potitum,  
3 teque oro tua per cruenta verba,  
4 et per vulnificos sales, tuosque  
5 natos non sine dentibus lepores  
6 istudque ingenii tui per acre  
7 fulmen, ridiculis et inficetis,  
8 irati ut tonitru Jovis, timendum ;  
9 per te denique Pierum serenum,  
10 Parnassumque, Heliconaque, Hippocrenenque,  
11 et quicumque vacat locus camenis,  
12 nunc oro, rogoque, improbos ut istos  
13 mactes continuis decem libellis ;  
14 nam sunt putiduli atque inelegantes,  
15 mireque exagitant sacros poetas,  
16 Nasonemque tuum et tuum Maronem,  
17 quos ut te decet aestimas, tegisque  
18 ne possint per ineptias perire.  
19 Quare si sapis, undique hos latrones  
20 incursabis et erues latentes ;  
21 conceptoque semel furore nunquam  
22 desistes ; at eos palam notatos  
23 saxis contuderit profana turba.

## AD CASPIAM

E2\_89A v.1 En miser exclusus jaceo, ceu montibus altis,  
2 Caspia, nix nullo respiciente cadit :  
3 meque tuus liquefecit amor violentius absens,  
4 sol teneram injecto quam solet igne nivem.

## AD MELLEAM

E2\_89B v.1 Dente vel ungue petat me Mellea perfero : credas  
2 qui impatienter amat, tam patienter amet ?

## AD DOLOREM

E2\_89C v.1 Si deus est aliquis dolor, aut in vallibus atris  
2 cum diis infernis ut perhibent habitat,  
3 illi ter centum caepes mox sacrificarim,  
4 desinat ut nobis cor miserum exedere.

## AD CALVUM

E2\_90 v.1 Est quasi jejunum viscus tua, Calve, crumena ;

2 id bile, hanc vacuum servat amore jecur.

IN BYRSEUM

E2\_91 v.1 Multis ad socerum queritur de conjugē Byrseus,  
 2 nupta quod externos suescit amare viros :  
 3 at breviter socer, "Et talis mi," ait, "illius olim  
 4 Mater erat ; credo, femina et omnis erit.  
 5 Commune et juvenile malum est, quod senior aetas  
 6 sonabit, spiro, sanctaque canities."  
 7 De me nec socero verum est hoc, Byrsee, clamas :  
 8 sed potuit, sed habet fabula ficta salem.

AD CASPIAM

E2\_92 v.1 Ecquando vere promissam, Caspia, noctem,  
 2 praestabis, cupido facta benigna mihi ?  
 3 Nox ea, si moriar, sat erit mihi sola beato ;  
 4 si vivo, non sunt millia mille satis.

IN BRETONEM

E2\_93 v.1 Carmine defunctum, Breto, caute inducis Amorem ;  
 2 nam numeris nunquam viveret ille tuis.

AD CORVINUM

E2\_94A v.1 Sextum perfidiae haud satis prudenter,  
 2 Corvine, insimulas, redarguisque  
 3 nequaquam meminisse quod spondit  
 4 aequali, vel etiam potentiori ;  
 5 quin eludere, si sit usus, ipsum  
 6 audere intrepide suos parentes.  
 7 Laesam dic, age, vis fidem experiri ?  
 8 Hunc ad cenam hodie vocato, vel cras,  
 9 vel tu postridie, perendieve,  
 10 sin mavis vel ad ultimas calendas ;  
 11 ni praesto fuerit, per et tabernas  
 12 omnes undique quaeritans volarit,  
 13 quas te nec meminisse jam nec unquam  
 14 usurpasse oculis in hunc diem usque  
 15 audacter mihi dejerare fas sit :  
 16 postremo nisi praebeat vocanti  
 17 convivam memorem se, et impigillum,  
 18 cenam coxeris hanc meo periculo.  
 19 Bullumne hoc specimen fidelitatis ?

IN SOCERUM FRAUDULENTUM

E2\_94B v.1 Qui jacet ad pontem nudus, Thurbarne, rogator  
 2 filius Hepsis erat, sed gener Eudivali.



## IN TRICIUM

E2\_94C v.1 Tres habuit, quartumque potest sperare novercam,  
2 et Tricius miserum se tamen esse negat.

## IN GELLAM

E2\_94D v.1 Pura basia fert refertque Gella,  
2 et puram venerem, salesque puros.  
3 Verum est, non nego, Gella Puritana est.

## AD IOANNEM DAVISIUM

E2\_94E v.1 Quod nostros, Davisi, laudas recitasque libellos  
2 vultu quo nemo candidiore solet :  
3 ad me mitte tuos, jam pridem postulo, res est  
4 in qua persolvi gratia vera potest.

## AD HYSPALUM

E2\_95 v.1 Sanum lena tibi promittat ut, Hyspale, scortum,  
2 puram sentina quis sibi quaeret aquam ?

## AD LICINIUM

E2\_96 v.1 Non quod legitimum id bonum necesse  
2 censetur, Licini ; bonum sed ipsum  
3 semper legitimum putare par est.  
4 Fenus nam licitum fatemur omnes,  
5 nemo non malus at bonum vocabit.

## IN AVARUM

E2\_97 v.1 Omnia dum nimium servas, miser, omnia perdis,  
2 nec tua sunt toties quae tua, Paule, vocas.

## IN LUPERCUM

E2\_98 v.1 Uxorem Lycii senex Lupercus  
2 strato admoverat, imminens puellae ;  
3 absentis domini exsilit molossus  
4 subventurus herae, vagasque morsu  
5 partes mollis adulteri revulsit.  
6 Stat moechus lacrimans sine ejulatu,  
7 testes nequitiae suae recusans,  
8 testes nequitiae suae requirens.  
9 O rem ridiculam ! Magisne dicam  
10 hanc plane miseram ? Canem vero esse  
11 plus quam femina, quam uxor est, fidelem.

## IN ERRICUM

E2\_99A v.1 Cum Stygio terrere umbras vultu, Errice, possis,  
2 dic per Plutonem quid tibi cum speculo ?

## IN HERMUM ET HERMIAM

E2\_99B v.1 Adria nec fluctus, Lybicum nec litus arenas,  
2 Hermia nec moechos, scorta nec Hermus habet.

## AD THYSIMELLAM

E2\_99C v.1 Si sapis increpitare meam, Thysimella, cavebis  
2 nequitiam, referet multa tacenda dolor.  
3 Seque tuis thalamis reperisse fatebitur, olim  
4 quae sibi famosus praetulit arma deus.

## AD TUCCAM

E2\_100 v.1 Nil aeris, magnam sed habes tu, Tucca, crumenam ;  
2 atque animum, quantum nulla crumena capit.

## AD PONTILIANUM

E2\_101 v.1 Quod juvenis, locuplesque sibi consisteret ipse  
2 Eutrapilus mortem, Pontiliane, stupes ;  
3 nam neque spretus amor, nec dedecus impulit atram,  
4 non jactura gravis, nec sine mente furor ;  
5 haud dolor excrucians, tetri aut fastidia morbi ;  
6 cunctos causa fugit, sed mihi vera patet ;  
7 hanc voco desidiā, quam res accendere nulla  
8 cum potuit, vitae nausea summa fuit.

## DE PUELLA IGNOTA

E2\_102 v.1 Regalem si quis cathedram prope percutit hostem,  
2 exigitur sonti vindice lege manus.  
3 Impune ergo feret quae cor mihi figit amicum  
4 virgo, oculis feriens quo stetit illa loco ?  
5 Parce tamen rigidumque nimis submitte vigorem,  
6 sacrosanctum jus : arbiter assit Amor,  
7 ille Amor aethereos qui non violarit ocellos ;  
8 non ego, non tanti funera mille forent.

## AD CHLOEN

E2\_103A v.1 Mittebas vetulam, Chloe, ministram,  
2 lippam, tardipedem, et febriculosam  
3 ad me luce nova aureos rogatum ;  
4 mane istuc mihi non placebat omen.

## IN PRETTUM

E2\_103B v.1 Una tibi manus est, unus pes, Prette, sed unus  
 2 pes ad potandum sufficit, una manus.  
 3 Quin lippis oculis quoque potio multa nocebit,  
 4 tu quasi non posses absque oculis bibere ?  
 5 At clementer edunt qui potant, tu satur ipso  
 6 nec quo nupsisti diceris esse die.

## IN PHILONEM

E2\_104 v.1 Dulcis cum tibi Bassiana nupsit  
 2 nemo non male clamitans ferebat  
 3 tam pulchram illepedo dari puellam,  
 4 torvus quique adeo et nigellus esses.  
 5 Caedis te, Philo, post reum malignae  
 6 suspensum populus frequens Tyburni  
 7 spectans, et querulam expiationem,  
 8 occassumque tuum pie gemiscens,  
 9 turmatim redit ; obviisque narrat  
 10 exemplum juvenis viri, et torosi,  
 11 perdigna facie artubusque pulchris :  
 12 sic praebet miseris nimis popellus,  
 13 detractatque male imprecans beatis.  
 14 At vobiscum agitur satis benigne  
 15 os durum quibus, horridique vultus,  
 16 aut distorti oculi, patensve nasus,  
 17 pulchri nam fieri, ut lubet, potestis,  
 18 si de quercu aliqua, per aut fenestram,  
 19 vultis praetereuntibus parumper  
 20 pendere horribili modo intuendi.  
 21 De vobis bona multa praedicabunt  
 22 omnes, quique etiam solent in omnes  
 23 quaevis dicere turpiora veris,  
 24 vitae qui levibus bonis fruuntur.

## IN PAULINUM

E2\_105 v.1 Non agros, Pauline, tibi, non splendida tecta,  
 2 non aurum invideo, ferripedes nec equos ;  
 3 sed tam casta toro, tam pulchra quod obtigit uxor,  
 4 tam lepida, alternoque obvia melle tibi,  
 5 moribus apta tuis et ficta per omnia votis :  
 6 invidiam faceret ni prohiberet amor.

## DE SE

E2\_106 v.1 Nos quibus unanimi cura est placuisse puellae,  
 2 quam multa insipide dicimus et facimus !  
 3 Quae simul ad sese rediit mens, omnia ridet,  
 4 afficiturque videns ipsa pudore sui :  
 5 sicut ego hesterna ; sed quid mea crimina stultus  
 6 profero ? Non faciam, tuta silentia sunt.

## IN MATRONAM

E2\_107A v.1 Abscidit os Veneris famulae matrona, marito  
 2 ne mutuum rursus daret :  
 3 quid fecit ? Culpae cupiens occludere portam,  
 4 insulsa patefecit magis.

## IN MARSIIUM

E2\_107B v.1 Marsie, gente tua quam dudum indigna tulisti,  
 2 Quis vel tibicin tam misere unquam habitus ?

## AD COSMUM

E2\_108 v.1 Cernit Aper vigilans annos post mille sepultos ;  
 2 talia sed caecus cernere, Cosme, potest.

## DE MELLEAE ET CASPIAE

E2\_109 v.1 Uror amat plures quod Mellea, Caspia nullos ;  
 2 non sine rivali est aut amor, aut odium.

## AD SABELLUM

E2\_110 v.1 Tuus, Sabelle, lippus iste cum furit  
 2 cunctis minatur clam venena Colchida,  
 3 et atra quicquid ora Cerberi vomunt.  
 4 Ab India usque virus omne colligit,  
 5 per uda stagna, perque marcidos lacus,  
 6 emitque pluris aspidem, quam tu bovem :  
 7 Hiberniam odit, namque ibi nusquam nocens  
 8 bestia timetur, pabulum quae toxicis  
 9 praebere dirum possit, id Pico grave est.  
 10 Quin imprecari Tartarum deo solet  
 11 Lernae quod olim tabidam extinxit feram.  
 12 Hunc ego, Sabelle, rideo veneficum,  
 13 tu vero ab istoc perditio retrahe pedem ;  
 14 ulcisci amicum tutius, quam hostem potest.

## IN MILVUM

E2\_111 v.1 In putrem ut sensit se Milvus abire salivam  
 2 servatam testa condidit aureola ;  
 3 et super inscripsit : "Milvi non ossa, cinisve,  
 4 sed Milvus, Milvi hic sive saliva sita est".

## IN CALPHAM

E2\_112 v.1 Ridicule semper quantum mihi, Calpha, videtur,  
 2 a multis jactas te sine dote peti ?  
 3 Nam quis quod nusquam est petat ? Aut captabit inani  
 4 siccum spe patrem, pumiceum vel avum.

## AD CASPIAM

E2\_113A v.1 Caspia, laudatur feritas in te, tua quicquid  
2 atrum in candorem vertere forma potest.

## AD IOHANNEM DOLANDUM

E2\_113B v.1 O qui sonora caelites altos cheli  
2 mulces et umbras incolas atrae Stygis,  
3 quam suave murmur ! Quale fluctu prominens  
4 Ligea madentes rore dum siccatur comas,  
5 quam suave murmur flaccidas aures ferit  
6 dum lenis oculos leviter invadit sopor !  
7 Ut falce rosa dissecta purpureum caput  
8 dimittit, undique foliis spargens humum,  
9 labuntur, hei, sic debiles somno tori,  
10 terramque feriunt membra ponderibus suis.  
11 Dolande, misero surripis mentem mihi,  
12 excorsque cordi pectus impulsae premunt.  
13 Quis tibi deorum tam potenti numine  
14 digitos trementes dirigit ? Is inter deos  
15 magnos oportet principem obtineat locum.  
16 Tu solus affers rebus antiquis fidem,  
17 nec miror Orpheus considens Rhodope super  
18 siquando rupes flexit et agrestes feras.  
19 At, o beate, siste divinas manus,  
20 jam, jam, parumper siste divinas manus !  
21 Liquescit anima, quam cave exsugas mihi.

## IN AMICUM MOLESTUM

E2\_114A v.1 Non placet hostilem nimium propensus ad iram,  
2 quive leves graviter fert inimicitias ;  
3 nec placet eructans odiose plurima quisquam,  
4 fretus jam veteris nomine amicitiae.

## IN BERINUM

E2\_114B v.1 Pegaseo dum se miratur fonte Berinus,  
2 interiit misere captus amore sui.

## IN HANNONEM

E2\_115 v.1 Divitias vocat Hanno suas sua carmina, tales  
2 morsus divitias Irus habere potest.

## AD CAMBRICUM

E2\_116A v.1 E multis aliquos si non despexit amantes,  
2 si tua non fuerit rustica nata, fremis ?  
3 Aut tam formosam tibi, Cambrice, non genuisses,  
4 aut sineres nato munere posse frui.  
5 Castae sint facies sua quas sinit esse pudicas,

6 pulchrior huic forma est quam decet esse probis.

IN COTTUM

E2\_116B v.1 Scire cupis Cottus quid agat, Lyce ? Cogitat Hermo  
2 curandum tradat mentulam, an Hersilio.

AD LEAM

E2\_117 v.1 Privato commune bonum, Lea, cum melius fit,  
2 obscurum plane est femina casta bonum.  
3 Nam nulli nota, aut ad summum permanet uni,  
4 omnibus atque aliis est quasi nulla foret ;  
5 sin te divulgat, mala fit ; quare illa bonarum  
6 aut rerum minima est, aut, Lea, tota mala.

DE AMANTIBUS

E2\_118 v.1 Olim si qua fidem violasset femina, quanquam  
2 tunc extra legem viveret, inque nota ;  
3 una nocte novo si forte vacaret amanti,  
4 materies elegis plena furoris erat.  
5 Quaestus causa fides taceat jam lubrica, nostris  
6 sat firma est, si sit sana puella satis.

DE VENEREA LUE

E2\_119 v.1 Aegram producit Venerem mundana senectus,  
2 contractamque nova perditione luem ;  
3 suspectam quae nunc Helenam fecisset, et omnes  
4 Laidis arceret jure metuta procos.

IN CRASSUM

E2\_120 v.1 De sociis loquitur praeclare Crassus, et illis  
2 quae non sunt tribuit praedia, rus, et agros ;  
3 Ingenium, formam, genus, artes, omnia donat ;  
4 tale sodalitium Tucca libenter amat.

AD EDOARDUM MYCHELBURNUM

E2\_121 v.1 Prudenter facis, ut mihi videtur,  
2 et sentis, Edoarde, qui optimum te  
3 longe pessima ab urbe sevocasti,  
4 vix anno ter eam aut quater revisens ;  
5 tum Pauli simul ac vides cacumen,  
6 ad notos refugis caute recessus,  
7 Urbis pestifera otia, et tenaces  
8 vitans illecebras, lubidinesque,  
9 at nos interea hinc ineptiarum  
10 portenta undique mille defatigant ;  
11 conventus, joca, vina, bella, paces,

12 ludi, damna, theatra, amica, sumptus ;  
 13 inclusos itidem domi fabrorum  
 14 aurigumque tonitrua, ejulatus,  
 15 vagitusque graves agunt Averni  
 16 usque in taedia ; rursus ambulantes  
 17 occurso vario in via molestant  
 18 curti caudidici, resarcinatis  
 19 qui gestant manibus sacros libellos ;  
 20 horum te nihil impedit deserto  
 21 quo minus celebres lepore musas  
 22 sub jucunda silentia : o meorum  
 23 cunctorum nimis, o nimis beate !

## IN GALLAM

E2\_122 v.1 Ilia cur tenue usque sonent tua nescio, Galla,  
 2 te nisi quod cantor Tressilianus amet.

## IN FUSCINUM

E2\_123 v.1 Contrectare tuos nequeam, Fuscine, puellos  
 2 non myrrham, non si thura, rosasque cacent.  
 3 Pro turpi est quicquid facilis natura negavit ;  
 4 si faciem demas, nec placet ipsa Venus.

## AD CASPIAM

E2\_124A v.1 Admissum tarde, cito, Caspia, laesa repellis :  
 2 constans ira, levis sed mulierbris amor.

## AD PRETTUM

E2\_124B v.1 Prette, non ita dico, te ut putarim  
 2 servitutis egere. Sive reges,  
 3 sive sceptrigeri ambient monarchae ;  
 4 hoc tantum moneo, nec obsecrantem  
 5 te servire potesse apud sagacem  
 6 vicinumque meum, tuumque largum ;  
 7 putrem nam ferat ut pedem manumque,  
 8 ferre non poterit voracitatem.

## AD CANDIDUM

E2\_125 v.1 Sis licet ingenuis nunc moribus, aequior ipso  
 2 Socrate, vel minima, Candide, labe carens,  
 3 nescis qualis eris cum tu novus aleo fias,  
 4 teque auctum lucrum qualibet arte trahat.  
 5 Victor ut evadas, nullum ut ferat alea damnum,  
 6 attamen ingenium poluet illa tuum.

## IN GALLAM

E2\_126 v.1      Poscit amatorem fervens sibi Galla Priapum,  
                   2            frigida sed castum Thespilis Hippolytum :  
                   3            hinc ego Lapsacides fieri tibi, Thespilis, opto,  
                   4            Gallae sed gelido purior Hippolito.

## IN BERINUM

E2\_127 v.1      Credita quae tibi sunt mutato nomine prodis,  
                   2            nomine mutato cuncta licere putas ;  
                   3            cur tibi nil credam jam si vis, quaere, Berine ;  
                   4            mutari nomen nolo, Berine, meum.

## AD SIBYLLAM

E2\_128A v.1     Nil non a domino bonum creatum,  
                   2            audacter satis hoc, Sybilla, dicis ;  
                   3            nec non ergo bonam creavit Evam ;  
                   4            illam sed tamen oscitanti Adamo,  
                   5            nequam perciperet bonam creari.

## AD HALLUM

E2\_128B v.1     Sors hominum dubitas avium an praestantior, Halle ?  
                   2            Perspicuum est, me odit Caspia, psittacum amat.

## AD ROBERTUM WO.

E2\_128C v.1     Novi dedecoris pudore ruptus  
                   2            ille Marsius, ut putas, Roberte,  
                   3            armatos homines quot aggregavit ?  
                   4            Quot summo genere inclitos amicos ?  
                   5            Quot conducticios ? Quot et clientes ?  
                   6            Tantum conjicito, nihil nocebit  
                   7            tam magno in numero parum vagari.  
                   8            Ut putas rogo te quot aggregavit ?  
                   9            Ipsus si tibi dixero, Roberto,  
                   10          vis mi credere jam ? Profecto nullos.

## AD MELLEAM

E2\_128D v.1     Anglia quotquot habet juras, mea Mellea, soli  
                   2            muneribus Veneris cedere posse mihi,  
                   3            Anglia quotquot habet qui scis, mea Mellea, quanti  
                   4            muneribus valeant fortipremae Veneris ?

## DE UXORE FABRI

E2\_128E v.1     Lemnia tardipedem dea vix toleravit unum,  
                   2            Vulcanos Venus hic sustinet una duos.  
                   3            Leno vir et faber est, pariter fabricatur adulter,



4           ligneus hic pupos, aeneus ille globos.  
5       Notus uterque, satis, satis o nimiumque puellae,  
6           cui magis ut placeam jam faber esse velim.

## IN GALLAM

E2\_129 v.1       Tactam te, ad vivum sed nunquam, Galla, fateris ;  
2           vah, quota pars carnis mortua, Galla, tuae est !

## AD EURUM

E2\_130 v.1       Rerum nomina, resque mutat ipsas  
2           usus multimoda vicissitate ;  
3           id si vis lepide aestimare dictum,  
4           inspectes capita, Eure, feminarum ;  
5           nam pars illa novi satis dat una,  
6           ne quid de mediis loquar, vel imis.

## AD PAULINUM

E2\_131 v.1       Quid, Pauline, meas amationes  
2           inclamas ? Quasi sit parum perire,  
3           ni tu hanc insuper aegritudinem addas.  
4           At si quid ratio ista promoveret,  
5           declamare aliquot dies polite,  
6           pulchre, et sobrius ipsemet potessim,  
7           depingens graphice protervi amoris  
8           mille incommoda, vel deinde mille,  
9           quae nusquam tibi dicta, scripta, picta  
10          occurrunt, neque visa somnianti  
11          unquam ; sed tamen usque me moleste  
12          castigas miserum, diu perorans ;  
13          obtundis, scio, perditum sinam me  
14          consulto fieri, lubet perire,  
15          suaves dum peream per ipse amores.

## IN CORNUTOS

E2\_132 v.1       Uxoris culpa immeriti cur fronte mariti  
2           cornua gestari ludicra fama refert ?  
3           An quia terribilem furor irritus, atque malignum  
4           efficit, armatis assimilemque feris ?  
5           An quod ad hanc faciem satyros, umbrasque nocentes  
6           fingimus, atque ipsum Daemona cornigerum ?  
7           An quod apud populum tantum fortuna nocentes  
8           reddit, nec verum crimina nomen habent ?

## AD HERMUM

E2\_133 v.1       In re si quacumque satisfacis omnibus, Herme,  
2           cur hoc uxori non facis, Herme, tuae ?

## AD AUFILenam

E2\_134A v.1 En dat se locus arbitris remotis,  
 2 Aufilena, meo tuoque amori :  
 3 quam nunc suave rubent repente malae,  
 4 invitoque etiam rubore candent !  
 5 Quam mollis manus, et benigna colla !  
 6 Tam belli poterunt pedes latere ?  
 7 Vicina et genua, invidente palla ?  
 8 Quid me tam male pertinax repellis ?  
 9 Nempe est femineum parum efferari,  
 10 sed tandem furor hic recedet ultro.  
 11 Aufugisti etiam ? Vale, proterva,  
 12 deformis, pede sordido et fugaci :  
 13 vultus ergone tam feros probavi ?  
 14 Cervices rigida ? Manus rapaces ?  
 15 Non mi esset melius carere ocellis,  
 16 quam sic omnia perperam videre ?

## AD ANNAM

E2\_134B v.1 Das mi animam et Leio, non te bene dividis, Anna :  
 2 tu mihi da tantum corpus, et illi animam.

## AD BATTUM

E2\_135 v.1 Qui tibi solus erat modo formidatus adulter,  
 2 jam, Batte, excruciat prodigiosa Venus.  
 3 Quaevis Pasiphae est cogente libidine ; tu si  
 4 rivalem admittas denuo tutus eris.

## AD MELLEAM

E2\_136 v.1 Quid maeres, mea vita, quidve ploras ?  
 2 Nec fraudem paro, quod solent profani  
 3 caros qui male deserunt amantes ;  
 4 nec, praedator uti, arduum per aequor  
 5 Hispanas reveham, Indicasque nugas :  
 6 expers sed Veneris, Cupidinisque,  
 7 silvae jam repeto virentis umbras,  
 8 et dulcem placidamque ruris auram,  
 9 ut memet reparem tibi, et reportem  
 10 lucro millia mille basiorum.

## AD THELESINAM

E2\_137 v.1 Expressos Helenae vultus Paridisque tabella  
 2 foedarunt quaedam sicut ab ungue notae ;  
 3 Hoc, Thelesina, doles, sed et hoc bene convenit illis,  
 4 jurgia nam quovis esse in amore solent :  
 5 quid cum te urgerem solam, quod amantis in ore  
 6 saeva impinxisti vulnera facta manu ?

## IN FABRUM

E2\_138 v.1 Heus, puer, haec centum defer sestertia Fabro ;  
 2 quid stas, quid palles ? Quid lacrimas, asine ?  
 3 Curre, inquam : pueros quamvis praecidat inanes,  
 4 de nummo poterit lenior esse tibi.

## IN AFRAM

E2\_139A v.1 Cum tibi tot rugis veterescat nasus, ut illi  
 2 surgere Spartanus debeat, Afra, senex :  
 3 cumque tuos dentes emat antiquarius Hammon,  
 4 prosint et tussi pharmaca nulla tuae ;  
 5 nubere vis puero, primo moritura Decembri :  
 6 sic facere haeredem non potes, Afra, virum.

## IN SE

E2\_139B v.1 Olim fungus ego, silex verebar,  
 2 ne non utibilis viro emereret  
 3 penis, qui puero excitatus altum  
 4 mentulae caput extulit torosae.  
 5 Tum nec apposita manu fovere,  
 6 nec sum tangere, nec repellere ausus,  
 7 nimirum metuens adulta stirps haec  
 8 ut posset pathico orbe comprehendi.  
 9 Vos jam intelligitis, viri et puellae,  
 10 multo sed magis improbae puellae,  
 11 quam stulte, illepideque rusticeque  
 12 summae laetitiae meae dolebam.  
 13 Nec si grandior existiisset alnu  
 14 idcirca fore mi magis verendam,  
 15 aut plus penivorae arduam puellae.

## IN NORVANUM

E2\_139C v.1 Se stupidum semper dicit Norvanus, et est : hoc  
 2 cum vere dicit, quomodo dissimulat ?

## AD COSMUM

E2\_140 v.1 Ad vitam quid, Cosme, facit tua mortis imago ?  
 2 Esse ut te miserum, pulvereumque scias ?  
 3 Cum sit certa tibi satis, obliviscere mortis ;  
 4 res vitae incertas has age ; vive, vale.

## AD ATEN

E2\_141 v.1 Reginae cum tres pomi de jure coirent,  
 2 te salebris, Ate, delituisse ferunt,  
 3 et miseris risisse ; quid hic, dea, si licuisset  
 4 pro pomo rigidam supposuisse tibi ?

## IN APRUM

E2\_142 v.1 Crispo suasit Aper febricitanti  
 2 pestem protinus hanc inebriatis  
 3 tolli, sed penitus furente Baccho.  
 4 Assensum est ; bibitur simul ; valere  
 5 Crispus coepit, Aper febricitavit.

## IN FUSCUM

E2\_143 v.1 Quasvis te petere et sectare, Fusce, puellas  
 2 credis, ridiculus nec reticere potes.  
 3 Haud aliter cymba vectus puer ire carinas  
 4 ad se omnes dicit garrulus, atque putat.

## AD LUCILLUM ET MANBAEUM

E2\_144A v.1 Carior, Lucille, anima vel illa  
 2 esse si quidquam pote' carius mi ;  
 3 tuque, Manbaee, unanimi sodalis  
 4 delictum et mens,  
 5 ecquid acceptistis, eratne laetum,  
 6 otia exegisse, cupidinemque,  
 7 et suos jam denique Campianum e  
 8 pectore amores ?  
 9 Nam sat illuxisse dies videtur  
 10 illa me festiviter, et beate,  
 11 quae brevi tantas penitus fugavit  
 12 luce tenebras ?  
 13 I fuge hinc, abjecte Amor, exulatum !  
 14 Tam ferum haud par est hominum imperare  
 15 mollibus curis, ad eas redi unde es  
 16 rupibus ortus.

## AD LIBRUM

E2\_144B v.1 Desine, jam satis est, nimium lascive libelle,  
 2 et vix Romano qui pede tutus eas.  
 3 At vos o Latiae peregrinae parcite pusi,  
 4 et fiat vestri pars levis illa chori.

## IN MAMURRAM

E2\_145 v.1 Pediculosus esse quis sanus legat  
 2 versus Mamurrae satyricos, si quis legit ?  
 3 Mordent, timent unguis, pedes et sex habent.

## IN VINCENTIUM

E2\_146 v.1 Astrictus nunc est Vincentius aere alieno ;  
 2 in proprio nimium hic ante solutus erat.

## AD AEMYLIUM

E2\_147 v.1 Aegris imperat usque possitallam  
 2 impostor litus, Aemyli : quousque ?  
 3 Nummos ridicule usque dum dat aeger.

## IN PARCOS

E2\_148 v.1 Parcous ingenui non est laudare poetae,  
 2 cui vetus horrendos antipathia facit.

## AD MARCELLUM

E2\_149 v.1 Scilla verecunda est ; Scilla est, Marcelle, venusta.  
 2 Si verum utrumque est, vix habet illa parem.

## AD MATHONEM

E2\_150 v.1 Arguo cur veram ficto sub nomine culpam  
 2 quaeris, nec titulis te quoque signo tuis.  
 3 Nunquam si fingit non est epigramma poema ;  
 4 vix est simpliciter cui, Matho, vera placent.

## AD COSMUM

E2\_151 v.1 Laudatus melior fiet bonus, et bona laus est ;  
 2 Solis at quae sit debita, Cosme, bonis :  
 3 re turgente mali quamvis, et honore fruuntur,  
 4 laudem ne sperent, non vacat illa malis.

## IN OLUM

E2\_152 v.1 Sat linguae dedit, Ole, sator tibi ; parte sed ulla  
 2 hanc potuit melius figure quam capite :  
 3 nam sentit tanquam lapis hoc ; tua voxque palati est,  
 4 faucis, pulmonis, denique mentis egens :  
 5 si foret, Ole, tuam mihi fas disponere linguam,  
 6 haereret qua tu pedere parte soles.

## IN EUNDEM

E2\_153 v.1 Summo ut significet patrem sedisse senatu,  
 2 hoc aliquando quod is pederat, Olus ait.

## IN HIPPONEM

E2\_154 v.1 Lites dum premit Hipponem fenerator,  
 2 imam ad pauperiem redit, nec ullus  
 3 ex omni magis est ei molestus  
 4 sumptus, quam misero diu roganti

5       assem quod dederat semel minutum,  
6       solum quem sibi nunc egenus optat ;  
7       laetus causicidicis volensque cuncta  
8       praebebat siquidem daturus et jam  
9       esset copia si secunda votis :  
10      invitus, genioque retrahente,  
11      solum sed tribuit gravatus assem.

## AD EURUM

E2\_155 v.1     Eure, bonum, non ordo facit, non res, locus, aetas :  
2           fit licet his melior, nascitur ipse bonus.

## IN MYCILLUM

E2\_156 v.1     Flagris morio caeditur, Mycillum  
2           pullum consiliarii Mycilli  
3           quod stultum vocitavit, at merentem ;  
4           dicat de patre jam, nihil pericli est.

## AD LALAGEN

E2\_157 v.1     Corpora mille utinam, Lalage, mea forma subiret ;  
2           unum spes esset cedere posse mihi.

## AD HAEMUM

E2\_158 v.1     Quasdam aedes narras ubi certis, Haeme, diebus  
2           vilia de summo culmine saxa cadunt.  
3           Daemonii hoc opera fieri contendis, at illud  
4           vix credo ; credam si pretiosa cadent.

## AD ARGENTINUM

E2\_159 v.1     De gallinarum genere est tua fertilis uxor,  
2           Argentine, viro nam sine saepe parit.

## AD TELESOPHURUM

E2\_160 v.1     Nec tibi parca placet, nec plena, Telesphore, mensa ;  
2           amplior haec avida est, ut minor illa, gula :  
3           quantus enim cibus est aliena in lance relictus  
4           expleto quereris tu periisse tibi.

## AD CASSILIANAM

E2\_161 v.1     Cur proba, cur cunctis perhibetur casta Nerine ?  
2           Assuevit nondum, Cassiliana, tibi.

## AD HERMUM

E2\_162 v.1 Ad latus, Herme, tuum spectans, siquando machaeram  
 2 laudo, tumes, dicens illa paterna fuit.  
 3 Si vel equum celerem pede, sive armenta, vel aedes  
 4 miror, et haec fuerant omnia patris, ais.  
 5 Si vultum commendo tuum, fuit ille paternus ;  
 6 servumque et scortum, et singula patris habes.  
 7 Sed cum nulla sit, Herma, tuae constantia linguae,  
 8 hanc bene maternam, si fateare licet.

## IN MARCELLINAM

E2\_163 v.1 Virgo olim cinerem et lutum solebat  
 2 Marcellina avido ore devorare ;  
 3 nunc moechos amat, at lutosiores  
 4 ipso, Calve, luto ; quid esse credam ?  
 5 Annon pica animi quoque haec laborat ?

## AD EURUM

E2\_164 v.1 Sacras somniat, Eure, contiones,  
 2 et pronuntiat ore semi aperto  
 3 Pyrrhus : dissimulat, nec est sacerdos.

## AD PONTILIANUM

E2\_165 v.1 Nascitur in lucem primo caput, unde gubernat  
 2 pars senior, caelo proxima, sphaera animae ;  
 3 huic decor oris inest, huic sermoque, mentis imago,  
 4 et prope totus homo est, Pontiliane, caput.

## AD COSMUM

E2\_166 v.1 Sub specie mala, Cosme, boni dominantur : honesti  
 2 usus ut exsolvit, sic decus omne perit.

## AD PAPILUM

E2\_167 v.1 Non sapit in tenui qui re jus, Papile, sperat ;  
 2 solis id magnis divitibusque datur.

## AD EURUM

E2\_168 v.1 Dilutum judex vinum bibat, ut sonet ore  
 2 jus quoque dilutum ; displicet, Eure, merum :  
 3 at nunc juridicus jus dicit, negligit aequum ;  
 4 jus ita qui judex dicit iniquus erit.

## AD CALVUM

E2\_169 v.1 Et lare ridiculum est, aliena et quaerere terra  
2 pacem animi ; nusquam est, sit nisi, Calve, domi.

IN MELISSAM

E2\_170 v.1 Sex nupta et triginta annis, sterilisque, Melissa  
2 nata ex se tandem prole triumphat anus :  
3 cura dei reges vobis proceresque cavete,  
4 portentum statua parturiente fuit.

AD DAUNUM

E2\_171 v.1 Carmen, equestris homo, cur fingis, Daune ? Poeta  
2 si vis esse nimis forte pedester eris.

AD COSMUM

E2\_172 v.1 Cosme, licet media tua pangas carmine nocte,  
2 affulget schedulae dexter Apollo tuae.  
3 Metrica scripturo sal vel sol adsit oportet  
4 perpetuo ; insulsa et frigida nemo sapit.

AD EURUM

E2\_173 v.1 Qui se, nec multis praeter se gaudet amicis,  
2 si nihil, Eure, vetat noster amicus erit.

AD LABIENUM

E2\_174 v.1 Dum nimium multis ostendere quaeris amorem  
2 in mensa, et positas extenuare dapes,  
3 obtundis ; nec cena gulae bene competit, in qua  
4 plus condimenti est quam, Labiene, cibi.

IN POLLIONEM

E2\_175 v.1 Magnificos laudat, misere sed Pollio vivit ;  
2 laudem fortassis rem putat esse malam.

AD SYBILLAM

E2\_176 v.1 Omnes se cupiunt omni ratione valere ;  
2 attamen est verbum triste, Sybilla, vale.

AD PAPILUM

E2\_177 v.1 Bellam dicebas Bellonam, Papile, sensi,  
2 suavius hospitium castra inimica darent :  
3 inveniatur quicum pugnet, mihi praefero pacem,  
4 ut tua sit soli Penthesilea tibi.



## AD GALLAM

E2\_178 v.1 Assurgunt quoties lacrimae tibi, si placet humor  
2 ut divertatur, mingere, Galla, potes.

## AD LABIENUM

E2\_179 v.1 Quaeris completo quot sint epigrammata libro ;  
2 sit licet incertum, sic numerare potes :  
3 plus minus, hebdomada, quotquot nascuntur in una  
4 Londini, faciunt tot, Labiene, librum.  
5 Nobiliumque minor numerus censetur utrimque,  
6 turba sed obscurae plurima plebis erit.

## IN MARCELLINAM

E2\_180 v.1 Larvas Marcellina horret, lemuresque, sed illa  
2 nil timet in tenebris si comitata viro est.

## AD LINUM

E2\_181 v.1 Henrico, Line, septimo imperante,  
2 nondum pharmacopola quintus urbem  
3 infarsit numero, nec oenopola ;  
4 ingens nunc tribus utriusque crevit :  
5 primo sed praeit ordine oenopola,  
6 ac tanquam alterius parens videtur,  
7 morbos dum creat, inficitque nostra  
8 sensim corpora dulcibus venenis.  
9 Quo tandem ruet haec vicissitudo ?  
10 Quid dicam ? Nisi daemona trecentos  
11 sementem facere his superfluum,  
12 omnes quos patimur licentiatos ?

## IN GALLAM

E2\_182 v.1 Galla melancholiam simulans, hilarare Lyaeo  
2 se solet, et fit non ficta melancholia.

## IN TABACCAM

E2\_183 v.1 Haud vocat illepide meretricem Nerva tabacam,  
2 nam vendunt illam, prostituuntque lupae.

## AD MARISCUM

E2\_184 v.1 Nullam Brunus habet manum sinistram,  
2 nec mancus tamen est ; sed est quod aiunt,  
3 Marisce, ut caveas tibi, ambidexter.

## AD PHILLITIM

E2\_185 v.1 Phillitis, tua cur discit saltare priusquam  
 2 firmiter in terra stare puella potest ?  
 3 Non metuis mox ne cadat immatura ? Caducas  
 4 nam sua sic pupas membra rotare facit.

## AD LALAGEN

E2\_186 v.1 Lingua est Gallica lingua feminarum ;  
 2 mollis, lubrica, blandiens labellis,  
 3 affundens, Lalage, decus loquenti :  
 4 terra est Anglica terra feminarum ;  
 5 simplex, suavis, amans, locis honestans  
 6 semper praecipuis genus tenellum.

## AD CYPARISSUM

E2\_187 v.1 Ne nimis assuescas carni, Cyparisse, bovinæ,  
 2 cornua nam quis scit num generare potest ?

## AD HERMUM

E2\_188 v.1 Castae qui servit si sit miser, Herme, quid ille  
 2 scortum qui metuit ? Perditus, et nihili est.

## AD CHLOEN

E2\_189 v.1 Pulchras Lausus amat ; Chloe, quid ad te ?  
 2 Pulchras non amat ergo Lausus omnes.

## AD PASIPHYLEN

E2\_190 v.1 Qui te formosam negat haud oculos habet ; at te  
 2 nauci qui pendit, Pasiphyle, cor habet.

## IN HERMIAM

E2\_191 v.1 Hermia cum ridet tetros hahahalat odores ;  
 2 Herme, ferenda magis si pepepedat erit.

## IN MYCILLUM

E2\_192 v.1 Cantat nocte Mycillus ad fenestras  
 2 formosae dominae, vigil, frequensque ;  
 3 et cantat lepide, et patent fenestrae  
 4 voci, at janua clausa sola surda est.

## AD CALVUM

E2\_193 v.1 Ex reditu lucrum facturum Naevola, praesens  
2 quod sperat recipit ; quam cito, Calve, redit ?

## AD HAEMUM

E2\_194 v.1 Augeae stabulum, Haeme, non inique  
2 Londinum vocitas ; sciet profecto  
3 multa impuritie ; haec ut eluatur  
4 iam plane Herculeo est opus labore ;  
5 nam nunc undique fetidum est, at illic  
6 non fenum male olet, sed, Haeme, fenus.

## IN TUCCAM

E2\_195 v.1 Nil refert si nulla legas epigrammata, Tucca ;  
2 de te scribuntur, non tibi ; Tulla, tace.

## AD NISAM

E2\_196 v.1 Quod melius saltas insultas, Nisa, sorori,  
2 utraque at melior quae neque saltat erit.

## AD PUBLIUM

E2\_197 v.1 Publi, sola mihi tacenda narras,  
2 sed quae si taceam, loquuntur omnes :  
3 dic tu tandem aliquid meri novelli,  
4 plane quod liceat loqui, aut tacere.

## AD COSMUM

E2\_198 v.1 Qualis, Cosme, tuae est haec excusatio culpae ?  
2 Suasit Amor ! Quasi non pessima dictet Amor !  
3 Ille deus natos ferro violare parentes  
4 fecit, patronem quem tibi, inepte, paras.  
5 Dic odio potius factum, dum mittis Amorem ;  
6 dic aliud, dic tu quicquid, amice, lubet.

## IN HARPACEM

E2\_199 v.1 Fenore ditatus civis, nunc rusticus Harpax  
2 feno ditescit ; re minor, at melior.

## AD OLUM

E2\_200 v.1 Nupsisse filiam, Ole, fenorati  
2 gestis ; quid ergo ita est ? corrupta num datur ?  
3 "Prorsus dicis," ais, "gravida" ; te, Ole, iam laudo  
4 qui fenus addis tale fenoratori.

## AD DAUNUM

E2\_201 v.1 Sponsam, ne metuas, castam tibi, Daune, remisi  
2 ipsam, ni credis tu mihi, Daune, roga.

## IN LAGUM

E2\_202 v.1 Cum vix grammatice sapiat tri verba ligare,  
2 diis Lagus invitis versificator erit :  
3 evenit ebriolis vitium par, protinus omnes  
4 saltare incipiunt cum titubare timent.

## IN VERGUSIUM

E2\_203 v.1 Nil amat invectum Vergusius, extera damnat ;  
2 nec vicina licet, Gallica vina placent :  
3 haud piper attinget crudus, procul aurea poma  
4 Hesperidum calcat, nec pia thura probat.  
5 Bombycis deridet opes, et patria laudat  
6 lanea, re vera non aliena sapit.  
7 Sed tamen uxorum Rufini, jamque maritus,  
8 ardet : at haec trita et non peregrina putat.

## IN HIPPONACTEM

E2\_204 v.1 Terget lineolis genas manusque,  
2 vix toto lavat Hipponax in anno,  
3 rugas dum metuens cutem puellis  
4 servat, sed bona perdidit paterna.  
5 Non est lautus homo : quid ergo ? Tersus.

## AD CALLIODORUM

E2\_205 v.1 Sollicitus ne sis signum fatale cometa  
2 ut quid portendat, Calliodore, scias ;  
3 expectes cladem (domini natale propinquat)  
4 non hominum, sed tu, Calliodore, boum.

## AD GLAUCUM

E2\_206 v.1 Jus qui bonum vendit cocus  
2 melior eo est qui polluit  
3 jus omne fucis non bonis,  
4 sit, Glauce, turgidus licet,  
5 raucisque saevior Notis.

## IN HANNONEM

E2\_207 v.1 Carmina multa satis pellucida, levia, tersa ;  
2 naturae vitreae sed nimis Hanno, creat.

## IN LIBRARIOS

E2\_208 v.1 Impressionum plurium librum laudat  
2 librarius ; scortum nec non minus leno.

## AD GAURUM

E2\_209 v.1 Pollio tam brevis est, tam crassus, ut esse Gigantis  
2 secti dimidium credere, Gaure, velis.

## AD LIGONEM

E2\_210 v.1 Cur non salutem te rogas equo vectum ?  
2 Ne equum tuum videar, Ligo, salutasse.

## AD ALBIUM

E2\_211 v.1 Dextre rem peragens, vel imperite ;  
2 vera an ficta, loquens, jocosa vel tu,  
3 Albi, seria, semper erubescis :  
4 hinc te ridiculum, levemque reddis.  
5 At tandem vitium pudoris omne  
6 vis deponere ? Vis ? Adi lupanar.

## AD OLYNTHUM

E2\_212 v.1 Dum sedet in lasano dormescit praetor Olynthus,  
2 et facit in lecto quod facit in lasano.

## IN PANDARUM

E2\_213 v.1 Scrotum tumescit Pandaro ; tremat scortum.

## IN HANNONEM

E2\_214 v.1 Scorti trita sui vocat labella  
2 non mellita, sed Hanno saccaranta ;  
3 at nescit miser extrahi solere  
4 ex dulci quoque saccaro venenum.

## AD LIGONEM

E2\_215 v.1 Purgandus medici non est ope Caecilianus,  
2 purgandus tamen est ; num, Ligo, mira loquor ?  
3 Purgandus gravidae de suspitione puellae.  
4 Ne te detineam, Caecilianus adest.

## IN MUNDUM

E2\_216 v.1 Mundo libellos nemo vendidit plures,

2       novos, stiloque a plebe non abhorrenti ;  
 3       quos nunc licet lectoribus minus gratos  
 4       librarii emptitant, ea tamen lege  
 5       ne Mundus affigat suis suum nomen.

## AD LAUSUM

E2\_217 v.1       Non si quid juvenile habeat mea carmina, Lause  
 2               sed vulgare nimis, sed puerile veto.

## AD BASSUM

E2\_218 v.1       Servum quando sequi cernit te, Basse, cinaedum  
 2               uxori te vult Cinna preire tuae.

## AD LAMIANAM

E2\_219 v.1       Nequidquam Lamiana cutem medicaris, et omni  
 2               detersam tentas attenuare modo :  
 3               innocua illa satis per se manet ; eripe luxum,  
 4               eripe nocturnae furta nociva gulae.  
 5               Pulcher ut in venis sanguis fluat atque benignus,  
 6               cures ; curabis sic, Lamiana, cutem.

## IN LIGONEM

E2\_220 v.1       Funerea vix conspicimus sine veste Ligonem :  
 2               an quia tam crebri funeris author erat ?

## IN MARSUM ET MARTHAM

E2\_221 v.1       Marsus ut uxorem, sic optat Martha maritum :  
 2               ambos quid prohibet quod voluere frui ?

## AD PONTILIANUM

E2\_222 v.1       Iste Bromus quis sit qui se cupit esse facetum,  
 2               plane vis dicam, Pontiliane ? Planus.

## AD SYRAM

E2\_223 v.1       Una re sapere omne feminarum  
 2               se credit genus : illa res negare est.  
 3               Una re sapere ut magis studeret  
 4               optandum foret : illa res tacere est.

## IN HERMUM

E2\_224 v.1       Omnibus officii ritu se consecrat Hermus,  
 2               taliam sed nunquam sacra litare solent.

## IN CAMBRUM

E2\_225 v.1 Cum tibi vilescat doctus lepidusque Catullus,  
 2 non est ut sperem, Cambre, placere tibi.  
 3 Tu quoque cum Suffenorum suffragia quaeras ;  
 4 non est ut speres, Cambre, placere mihi.

## IN EUNDEM

E2\_226 v.1 Disticha cum vendas numerasti, Cambre, bis unum ;  
 2 pastor oves cuperet sic numerare suas.

## AD GRAIOS

E2\_227 v.1 Graii, sive magis juvat vetustum  
 2 nomen, Purpulii, decus Britannum,  
 3 sic Astraea gregem beare vestrum,  
 4 sic Pallas velit ; ut favere nugis  
 5 disjuncti socii velitis ipsi,  
 6 tetrae si neque sint, nec infacetae,  
 7 sed quales merito exhibere plausu  
 8 vosmet, ludere cum lubet, soletis.

## AD LIBRUM

E2\_228 v.1 Verborum satis est, oneri sunt plura libello ;  
 2 sermo vel urbanis multis obesse potest.  
 3 Partibus ex brevibus quae constat inepta figura est  
 4 si sit longa nimis ; par modus esto pari.